UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Corpus Juris Canonici

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

Decretalivm Epistolarvm Gregorii Liber Qvartvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62915

Visual Library

# DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII LIBER QVARTVS.

## DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIIS.

## *TITVLVS PRIMVS.*

### CAPITVLVM PRIMVM.

*Matrimonium conſenſu contrahitur, nec invalidatur, ſi conſuetudo patriæ non ſervetur.*

Ex Concilio Triburienſi. *a*

DE Francia quidam nobilem *b* mulierem de Saxonia, lege [Saxonum] duxit in uxorem: verùm quia non eisdem utuntur legibus Saxones & Franci [genæ,] cauſatus eſt, quòd eam non ſua, id eſt, Francorum lege deſponſaverat, vel acceperat, vel donaverat, dimiſſaque illa, aliam ſuperduxit. Definivit ſuper hoc ſancta ſynodus, ut ille tranſgreſſor Evangelicæ legis ſubjiciatur pœnitentiæ, & à ſecunda conjuge ſeparetur, & ad priorem redire cogatur.

### CAP. II.

*Sponſalia de futuro diſſolvuntur, ſi ſponſi ſe diſſolvunt, etiam ſi fuerint jurata.*

Innocentius III. *Exonen.* c *Epiſcopo.*

PRæterea *d*, hi qui de matrimonio contrahendo purè & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent. Si autem ſe adinvicem admittere noluerint: ne fortè deterius inde contingat, ut talem ſcilicet ducat, quam odio habet *e*: videtur, quòd ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.

### CAP. III.

*Si major ſeptennio duxit in uxorem minorem ſeptennio, & eam traduxit ad domum, oritur ex tali contracta publicæ honeſtatis juſtitia, h. d. inhærendo literæ Pannorm.*

Eugenius Papa.

IVvenis *f*, qui puellam nondum ſeptennem duxit, quamvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forſan tentavit, quod complere non potuit. Quia igitur in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus: tum propter honeſtatem eccleſiæ, quia ipſa conjunx ipſius fuiſſe dicitur, tum propter prædictam dubitationem: mandamus *g*, quatenus conſobrinam ipſius puellæ, quam poſtmodum duxit, dividas ab eodem.

### CAP. IV.

*Ex ſponſalibus contractis cum conſanguinea, oritur publicæ honeſtatis juſtitia.*

Alexander III. *Papien. Epiſcopo.*

AD audientiam *h* noſtri apoſtolatus pervenit, quòd cùm H. Papienſis civis filiam ſuam cuidam filiorum I. vellet dare uxorem: juravit, quòd ſi ille habere eam caſu aliquo interveniente non poſſet, alteri filio, quem de alia uxore genuerat, eandem matrimonio copularet. Contractis autem à filio priore ſponſalibus, quidam conſanguinitatem inter eos eſſe juramentis interpoſitis firmaverunt. Ideoque præfatus H. eandem dari alteri filio nititur, ut juravit. Sed quoniam ſcriptum eſt, quòd ſponſam fratris, frater habere non poteſt: mandamus, quatenus eum ſuum implere propoſitum non permittas, ſed ut pœnitentiam agat de illicito juramento, monitione præmiſſa, eccleſiaſtica diſtrictione compellas.

### CAP. V.

*Si ſponſus de futuro ante copulam ad remota ſe transfert, ſponſa liberè cum alio contrahit, ſi tamen per eam ſtetit, quo minus matrimonium perficeretur, ſibi pœnitentia imponitur.*

Idem *Pannormitano Archiepiſcopo.*

DE illis autem *a*, qui præſtito juramento promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes: Hoc tibi volumus innoteſcere, quòd liberum erit mulieribus ipſis (ſi non amplius in facto eſt proceſſum) ad alia ſe vota transferre, recepta de perjurio pœnitentia, ſi per eas ſtetit, quo minus fuerit matrimonium conſummatum.

### CAP. VI.

*Non omnis violentia impedit contractum matrimonii. h. d. quoad titulum.*

Idem *Paduano Epiſcopo.*

DE muliere *b*, quæ eſt invita tradita viro & detenta: cùm inter vim & vim ſit differentia, utrum poſtea conſenſus interceſſerit, certum nobis nihil poſtea expreſſiſti, nihil certum inde tibi poſſumus reſpondere.

### CAP. VII.

*Si aliqui apti ad matrimonium, contrahunt per verba obſcura, communem verborum intellectum ſequi tenentur.*

Idem *Cantuarien. Archiepiſcopo.*

EX literis *c*: [ 1 & J.] De hoc autem quod conſuluiſti, quid debeat obſervari, quando inter aliquos ſponſalia contrahuntur, nec intelligat alter, quod alter proponit: Reſpondemus, quòd inſpiciendum eſt judici, ſi matrimonium contracturi, ad id faciendum ſint idonei ſcientia & ætate: quo cognito, ſi alter non intellexerit, quod alter propoſuit, ad communem verbi

---

a *Ca. 39. refert Bur. l. 9. Decret. 76. Ivo p. 8. c. 213.* b *C. 1. eod. tit. in 2. comp.* c *Exonien.* d *C. 11. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III. p. 6. c. 33.* e *habeat.* f *C. 18. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 12. c. 8.* g *Mandamus ut, abſq; voce quatenus.* h *C. 1. eod. tit. in 1. comp.*

a *C. 4. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lat. p. 6. c. 12.* b *C. 5. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 6. c. 19.* c *C. 6. eod. tit. in 1. comp. & poſt concil. Lat. p. 41. c. 8. Vide Alex. conſ. 152. in volum.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

intelligentiam recurratur *a*, & cogatur uterque verba prolata in eo ſenſu retinere, quem ſolent rectè intelligentibus generare.

[ 1 *Quæ ſuper cauſa matrimonii cujuſdam juvenis R. nomine & M. filiæ Gileberti, de ſancto Leodegario tranſmiſiſti, tua ſolicitudo nobis innotuit, quod in ipſius negotii examine ſervaſti. Quia verò abſentibus partibus veritatem nequivimus plenariè cognoſcere, nec cauſam ipſam ad te remittere, à quo pars altera mulieris ad audientiam noſtram noſcitur appellaſſe, eam ven. fr. n. VVint. Herford. & Baton. Epiſcopis duximus committendam. Ideoq; f. t. per a. ſ. m. q. partes adire eorum præſentiam, cùm ab eis fuerint convocatæ, & quod ipſi judicaverint, inviolabiliter obſervare, contradictione & appellatione re. compellas.*]

CAP. VIII.

*Inter ſponſam & conſanguineos ſponſi oritur impedimentum publicæ honeſtatis, impediens & dirimens matrimonium inter eos contrahendum.*

Idem *Vigilien. Epiſcopo.*

SPonſam *b* alterius (maximè ſi eſt nubili ætati proxima) nullus conſanguineorum aliquo modo ſibi poteſt matrimonio copulare.

CAP. IX.

*Si vir & mulier invicem promittunt, quòd ab eo tempore ſe pro conjugibus habebunt, contractum eſt matrimonium de præſenti. h. d. & eſt caſus notabilis.*

Idem *Abbatibus ſancti Eadmundi* c & *Demer.* d

EX parte *e* C. *f* mulieris nobis intimatum eſt, quòd Andreas juramentum præſtitit, quòd eam ab eo *g* tempore pro conjuge teneret, & ei ſicut uxori ſuæ fidem ſervaret. Ipſa quoque eidem Andreæ juravit ſe illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam viro proprio ſervaturam: quo facto prænominatus A. reliquit eandem. Quia igitur nemini licet uxorem ſuam ſine manifeſta cauſa fornicationis dimittere, & tunc eam ſibi reconciliare debet, aut ipſa vivente continere: mandamus, quatenus eundem, ut ſuperinducta dimiſſa, ad uxorem ſuam redeat, & eam maritali adfectione pertractet, monitione præmiſſa per eccleſ. cen. cogatis.

CAP. X.

*Qui juravit cum aliqua contrahere, ſi non ſubeſt impedimentum, per cenſuram eccleſiaſticam contrahere compellitur.*

Idem *Pictavien. Epiſcopo.* h

EX literis *i* Silvani Epiſcopi accepimus, quòd cùm duo nobiles viri ſui epiſcopatus G. *k* ſcilicet de Monſtra. & B. filios & filias impubeſcentes haberent, inter ſe convenerunt, quòd eos adinvicem matrimoniis copularent, & hoc tam patres, quàm filii ſub juramento ſe promiſêre facturos: inter quos ſiquidem G. filiam alterius conſentiente patre ſe ſemel & iterum juravit ducere in uxorem: quo volente ad alia vota migrare, eum Epiſcopus compellere voluit, ut quod juraverat, adimpleret: [ 1 & ſ.] Quia igitur prædicto G. periculoſum eſt, contra ſuum juramentum venire: frat. t. mandamus, quatenus ſi hoc tibi conſtiterit, eum moneas: & ſi non adquieverit monitis, eccl. cenſ. compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali adfectione pertractet.

[ 1 *Ipſe ad noſtram audientiam appellavit, & altera parte ad nos nuncium ſuum deſtinante, ipſe non venit, nec reſponſalem aliquem pro ſe tranſmiſit.*]

CAP. XI.

*Per cenſuram eccleſiaſticam pater compellitur reſtituere filio ejus uxorem, quam injuſtè detinuit vel detinet.*

Idem *Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis prælatis per Angliam conſtitutis.*

NOn eſt *a* vobis (ſicut arbitramur) incognitum qualiter Rex Anglorum pro diſcordia, quæ inter ipſum & filios ſuos eſt ſuborta *b*, uxores eorum detineat: & infrà. Nos itaque attendentes juſtum & honeſtum eſſe, ut viri ſuas petant uxores: mandamus, quatenus eundem Regem ad eas reſtituendas ſolicitè moneatis: & ſi juxta commonitionem veſtram filiis ſuis uxores ſuas intra certum terminum non reſtituerit, extunc in quacunque provinciarum veſtrarum detinentur vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla divina officia (præter baptiſmum *c* parvulorum, & pœnitentias morientium) celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari.

CAP. XII.

*Dictum unius adſerentis impedimentum, impedit matrimonium contrahendum, non juratum.*

Idem *Epiſcopo ſanctæ Agathæ.*

PRæterea de muliere *d*, quæ à viro impeditur, cujus conſanguineus cum ea ſe deliquiſſe proponit, ſed hoc publicè confiteri recuſat propter metum & potentiam mulieris: Taliter reſpondemus, ut matrimonium ipſum fieri (niſi juramentum interveniſſet) diſtrictè perhibeas, ne deterius inde contingat.

CAP. XIII.

*Si mulier invita cum aliquo contrahat, nec in eum poſtea conſentiat, tenet matrimonium, ſi alteri poſtea nubit. Ita communiter ſummatur. Et ſecundum hunc intellectum eſſet hic caſus apertus, quòd matrimonium metu contractum, eſſet ipſo jure nullum, hoc tamen clarè non colligitur ex litera.*

Idem *procuratori & canonicis Soran.*

VEniens *e* ad Apoſt. ſed. Mariotà ſupplici inſinuatione monſtravit, quòd quendam adoleſcentem adamavit in tantum, quòd uterque *f* de matrimonio contrahendo, ſub trium perſonarum teſtimonio præſtiterit *g* juramentum: quod parentes mulieris ipſius ignorantes, eam invitam & reclamantem in uxorem alii tradiderunt: quem ita exhorruit, quòd ſe ab eo nullo modo cognoſci permiſit. Cumque publicè fateretur, quòd à priori viro cognita eſſet, atque jurata, Epiſcopus Soran. cognito, quòd proxima inter eos eſſet linea conſanguinitatis, ipſos ab invicem ſeparavit. Cæterùm cùm cauſa ipſa tractaretur, & viro, cui tradita fuerat à parentibus, conſentire nollet, ipſe aliam in uxorem traduxit, & illa cuidam T. nomine publicè in conſpectu eccleſiæ nupſit. Tandem cùm *h* de illo filium genuiſſet, pater ipſius T. ei oppoſuit, quòd filium ſuum non potuit in virum habere, eo quòd alii *i*, qui defunctus eſt, prius deſponſata fuiſſet. [ 1 & ſ.]

Mandamus, quatenus ſi inveneritis, quòd prædicta mulier à priori viro judicio eccleſiæ fuerit ſeparata, & ab eodem T. ſine contradictione eccleſiæ in uxorem traducta, & ille cui à parentibus fuit *k* copulata de præſenti vita deceſſit, prædictum T. monitione præmiſſa compellatis, ut præfatam Mariotam recipiat, & ſtudeat maritali adfectione tractare: alioquin eum, & ſuperinductam, & patrem ejus *l* (ſi huic rei *m* reſtiterint) excommunicationi ſubdatis.

[ 1 *Quòd cùm aſſertioni ejus fidem ſicut non debuimus, non adhibuimus, nec potuimus ſub ſilentio præterire, eam ad vos duximus remittendam, vobis per Apoſt. ſed. mandantes.*]

CAP. XIV.

*Si timetur inferri violentia puellæ, de cujus matrimonio agitur, debet judex ſibi providere locum tutum & honeſtum, donec cauſa terminetur. h. d. Et eſt textus multùm allegabilis.*

a *Concordat l. Labeo. & ibi Bart. De ſupel. leg.* b *C. 7. eod. tit. in 1. compil.* c *Cadmundi & de Meſcia.* d *al. Rameſia.* e *C. 8. eod. tit. in 1. comp.* f *E.* g *In C. Barb. ita: ab eo tempore in antea.* h *Pictavenſ.* i *C. 9. eod. tit. in 1. compil. & poſt conc. Lat. p. 1. c. 20.* k *VV.*

a *C. 13. eod. tit. in 1. comp.* b *al. eſt exorta.* c *baptiſma.* d *C. 16. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 50. c. 50* e *Ca. 17. eod. tit. in 1. comp.* f *quod ut, &c.* g *præſtitit.* h *Sed cum de illo.* i *ab alio.* k *fuerat.* l *ipſius.* m *reſiſterit.*

Idem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Idem *Papienſi Epiſcopo.*

CVm locum *a* non habeat conſenſus, ubi metus vel coactio intercedit, neceſſe eſt, ut ubi adſenſus cujuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur: & ubi de ipſo quæritur, plena debet ſecuritate ille gaudere, cujus eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire. Quocirca mandamus, quatenus puellam, de cujus matrimonio quæſtio ventilatur, in domo, in qua nihil eam timere oporteat, facias honeſtè teneri, donec prædicta cauſa terminata fuerit, & *b* ſententia ſine contradictione cujuſquam valeat executioni mandari.

## CAP. XV.

*Sponſalia de futuro, ſi ſecuta eſt copula, non ſolvuntur per ſponſalia de præſenti: aliàs tenent ſponſalia de præſenti, niſi per metum, qui potuiſſet cadere in conſtantem virum, contracta ſint.*

Idem.

VEniens *c* ad nos Gu. ſua nobis relatione monſtravit, quòd in domo ſua mulierem quandam receperit, de qua prolem habuit, & cui fidem coram pluribus præſtitit, quòd eam duceret in uxorem: Interim autem cùm apud domum vicini ſui pernoctaverit, ejus filia nocte illa ſecum concubuit, quos pater puellæ ſimul in uno lecto inveniens, ipſum eam per verba de præſenti deſponſare coëgit. Ideoque mandamus, quatenus ſi inveneris, quòd primam poſt fidem præſtitam cognoverit, ipſum cum ea facias remanere: alioquin ſecundæ (niſi metu coactus, qui poſſet *d* in virum conſtantem cadere, eam deſponſaverit) adhærere facias, ut uxori.

## CAP. XVI.

*Qui juravit cum aliqua contrahere, ſi vult religionem ingredi, debet primò contrahere, ut juramentum ſervetur, & ante copulam carnalem monaſterium ingredi poterit.*

Idem *Exonienſi Epiſcopo.*

COmmiſſum *e.* & infrà. Significavit nobis fratern. tua, quòd quidam cuidam mulieri de contrahendo matrimonio fidem dedit, & ſe cum ea intra biennium per verba de præſenti contracturum præſtito juramento firmavit: nunc autem privata lege ductus ad frugem melioris vitæ tranſire ſuſpirat: & infrà. Frat. tuæ reſpond. quòd tutius eſt ei (religione juramenti ſervata) prius contrahere, & poſtea, ſi elegerit, ad religionem migrare: ſi tamen poſt deſponſationem copula non dignoſcitur interveniſſe carnalis.

## CAP. XVII.

*Qui juravit cum aliqua contrahere, moneri potius debet, quàm compelli, ut contrahat. h. d. inhærendo litera.*

Lucius III. *Rapalen.* f *Epiſcopo.*

REquiſivit *g* à nobis tua frater. qua cenſura mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta nubere renuit, cui ſe nupturam interpoſito juramento firmavit: [ 1 & ſ.] Ad quod b. r. quòd cùm libera debeant eſſe matrimonia, monenda eſt potius, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.

[ 1 *Quaſiviſti etiam, utrum ea cujus vir matris thorum polluit, ad alia vota, cùm mater fieri deſideret, viro poſſit vivente tranſire.*]

## CAP. XVIII.

*Litis pendentia ſuper matrimonio non impedit ſecundum matrimonium contrahi, ſi primum erat nullum.*

Vrbanus tertius.

CVm in *a* Apoſtolica: [ 1 & ſ.] Intelleximus, quod cùm inter villicum de Arveta, & uxorem ejus matrimonii quæſtio tractaretur *b,* ante publicationem teſtium villicus reverſus ad propria, publicè inter ſe & uxorem ſuam propoſuit ſententiam divortii, judicio eccleſiæ promulgatam: & ſic falſitate ſuggeſta, quandam aliam facti neſciam *c* ſibi copulare præſumpſit. Poſtmodum verò ſuper prioris matrimonii quæſtione literis impetratis delegati judices ſententiam divortii protulerunt. Verùm quia villicum & mulierem, quam superinduxit, pendente lite prioris uxoris invicem aſſeris conſenſiſſe. Conſult. t. t. r. quòd impoſita viro pœnitentia competenti, & intra pœnitentiæ tempus carnali commercio interdicto: poſtmodum in maritali copula poterunt remanere.

[ 1 *Cui licet immeriti præſidemus, magiſterium reſideat totius eccleſiaſticæ diſciplinæ, dignum eſt & conſonum rationi, ut quoties circa negotia eccleſiaſtica aliquid dubietatis emergit, ad ipſius deliberationis arbitrium recurratur.*]

## CAP. XIX.

*Vxor non certificata de morte viri, contrahere non poteſt, quamvis ignoret quid ſit de marito, qui longo tempore abſuit.*

Clemens tertius *Cæſarauguſtenſi Epiſcopo.* d

IN præſentia *e* noſtra quæſiviſti, quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis, vel peregrinationis abſentes ultra ſeptennium præſtolatæ *f* fuerint: nec certificari poſſunt de vita vel de morte ipſorum, licet ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem: & pro juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis, nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Conſul. ergo t. t. reſpond. quòd quandocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt ad aliorum conſortium canonicè convolare, nec auctoritate eccleſiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

## CAP. XX.

*Contractus matrimonii cum peccatrice volente ſe corrigere, proficit ad remiſſionem peccatorum.*

Idem.

INter opera *g* charitatis non minimum eſt, errantem ab erroris ſui ſemita revocare: [ 1 & *infrà.*] Statuimus, ut omnibus, qui publicas mulieres de lupanari extraxerint & duxerint in uxores, quod agunt, in remiſſionem proficiat peccatorum.

[ 1 *Ac præſertim mulieres voluptuosè viventes, & admittentes indifferenter quoslibet ad commercium carnis, ut caſtè vivant, ad legitimum thori conſortium invitare. Hoc igitur attendentes, auct. Apoſtolica.*]

## CAP. XXI.

*Matrimonium per vim contractum, cohabitatione ſpontanea convaleſcit. h. d. & quotidie allegatur.*

Idem.

AD id *h,* quod per tuas literas intimaſti de quadam paroeciana tua, quam ſuus vitricus cuidam Teuthonico matrimonialiter copulavit: Taliter r. quòd quamvis undecim annos habens, ab initio invita fuiſſet ei tradita & renitens: tamen quia poſtmodum per annum & dimidium ſibi cohabitans, conſenſiſſe videtur, ad ipſum eſt cogenda redire: nec de cætero recipiendi ſunt teſtes, ſi quos memorata mulier ad probandum, quòd non conſenſerit in eundem, nominaverit pro-

a *C. 19. eod. tit. in 1. comp.* b *al. ita: ut ſententia.* c *C. 2. eod. tit. in 2. comp. vid. citatos cap. præcedent.* d *poſſit.* e *C. 4. eod. tit. in 2. comp. Magiſter ſent. 4. diſt. 27. §. hoc autem conjugatis. & ibi Sot. q. 1. art. 4.* f *Rapulenſ. al. Rabulen. al. Abulenſ.* g *C. 1. eod. tit. in 1. comp.*

a *C. 29. eod. tit. in 1. comp. & poſt. conc. Lat. p. 6. c. 21.* b *verteretur.* c *inſciam.* d *Cæſarauguſtano.* e *C. 3. eod. tit. in 2. comp.* f *fuerunt.* g *C. 5. eod. tit. in 2. comp. Ant. Gometz 3. var. reſol. c. 13. Iul. Clarus in prac. crim. §. fin. q. 93. & Covarr. in ep. 4. Decr. p. 2. c. 8. §. 11.* h *Ca. 7. eod. tit. in 1. compilation. vid. Oldrad. conſil. 36.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ducendos, cùm mora tanti temporis hujuſmodi probationem *a* excludit: Mandamus igitur, ut propter hoc non omittas, quo minus utrumque compellas ad alterum maritali affectione tractandum, niſi fortè vellent ad religionem pariter convolare, pœnitentia eis injuncta pro eo, quòd ad alienos, & illicitos concubitus uterque tranſivit.

CAP. XXII.

*Sponſalia de futuro, etiam jurata, ſolvuntur per ſecunda ſponſalia de præſenti, non autem per ſecunda de futuro.*

Innocentius III. *Fernatin.* b *Epiſcopo.*

SIcut *c* ex literis tuæ frater accepimus, cùm Lau. parœcianus tuus P. mulierem ſe ducturum in conjugem, in manus patris ejusdem P. jurantis, quòd eam ſibi traderet in uxorem, proprio firmaverit juramento, nec per virum ſteterit, ſed per mulierem potius, quo minus inter eos matrimonialis ſolennitas ſit ſecuta, quatuor poſtmodum, vel quinque annis elapſis idem L. E. mulierem per verba de præſenti (ut ejus conſanguinei aſſerunt) deſponſavit: [ 1 & ſ.] Poſtulationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi tibi conſtiterit, quòd idem L.P. per verba de futuro E. verò deſponſaverit per verba de præſenti: impoſita ei pœnitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit (niſi forſan in juramento ſuo certum terminum, intra quem dictam P. duceret in uxorem, præfixit, nec per eum ſtetit, quin ad ſtatutum terminum matrimonium conſummaverit) matrimonium ſecundo loco contractum legitimum judices, & ad illud ſervandum compellas eundem. Quòd ſi fortè per verba de futuro ſponſalia cum utraque contraxit, juramentum primum ſicut licitè factum eſt, ipſum ſervare compellas, de ſecundo ei pœnitentiam injuncturus. Quòd ſi de his non conſtat ad plenum, tamdiu adhuc cognoſcas de cauſa, donec ſuper his ſufficienter *d* inſtruaris.

[ 1 *Propter quod frater prædictæ P. ſuam depoſuit in præſentia tua quæſtionem. Quia verò quid ſuper his agendum ſit, noſtro poſtulas reſponſo edoceri.*]

CAP. XXIII.

*Mutus & ſurdus, & omnes qui non prohibentur, matrimonium contrahere poſſunt.*

Idem *Arelatenſi Epiſcopo.*

CVm apud ſedem *e* Apoſtolicam: [ 1 & ſ.] Sanè conſuluiſti nos, utrum mutus & ſurdus, alicui poſſint matrimonialiter copulari. Ad quod taliter reſpondemus, quòd cùm prohibitorium ſit edictum de matrimonio contrahendo, ut quicunque non prohibetur, per conſequentiam admittatur, & ſufficiat ad matrimonium ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur: Videtur, quòd ſi talis velit contrahere, ſibi non poſſit, vel debeat denegari. Cùm quod verbis non poteſt, ſignis valeat declarare.

[ 1 *Cui licet immeriti præſidemus, totius eccleſiaſticæ diſciplinæ reſideat magiſtratus, dignum & conſonum eſt rationi, ut quoties circa negotia varia & diverſa quodcunque dubitationis emerſerit, ad ipſius judicium recurratur. Quæ diſponente Domino, inter omnes eccleſias obtinere meruit principatum.*]

CAP. XXIV.

*Furioſus matrimonium contrahere non poteſt.*

Idem *Verſel. Epiſcopo.*

DIlectus *f* filius R. propoſuit *g*, quòd filiam ſuam cuidam matrimonialiter copulavit: [ 1 & ſ.] Cùm autem eadem mulier, cum ipſo viro, qui continuo furore laborat, morari non poſſit, & propter *a* alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire conſenſus: mandamus, quatenus ſi rem noveris ita eſſe, præfatas perſonas cures ab invicem ſeparare.

[ 1 *Ignorans quòd ipſe eſſet furioſus. Unde humiliter ſupplicavit à nobis, ut tam eidem quàm ipſius filiæ conſulere dignaremur.*]

CAP. XXV.

*Solo conſenſu legitimo contrahitur matrimonium, ſed verba requiruntur, quoad probationem: & intellige vel alia ſigna æquipollentia. h.d. ſecundum intellectum, quam tenet Panorm.*

Idem *Brixien. Epiſcopo.*

TVæ *b* fraternitati: & ſ. Poſtulaſti, utrum ex ſolis verbis, & ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris conſenſum: ſed neceſſaria ſunt, quantum ad eccleſiam, verba conſenſum exprimentia de præſenti. Nam *c* ſurdi & muti poſſunt contrahere matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis: & pueri ante annos legitimos per verba ſola non contrahunt, cùm intelligantur minimè conſentire.

CAP. XXVI.

*Si alter contrahentium utitur verbis dubiis, animo decipiendi mulierem, & eam poſtmodum cognoſcit carnaliter, judicatur pro matrimonio in foro judiciali: ſecus in pœnitentiali. h.d. ſecundum verum & communem intellectum.*

Idem.

TVa *d* nos duxit fraternitas conſulendos: & infrà. Conſequenter quæſiviſti, cùm quandam mulierem quidam aliter inducere nequiviſſet, ut ſibi commiſceretur carnaliter, niſi deſponſaſſet eandem: nulla ſolennitate adhibita, vel alicujus præſentia, dixit illi, *Te Ioannes* deſponſat: cùm ipſe Ioannes non vocaretur, ſed finxit ſe vocari Ioannem: non credens eſſe conjugium, eo quòd ipſe non vocaretur hoc nomine, nec haberet propoſitum contrahendi, ſed copulam tantum exequendi carnalem: utrum inter prædictos ſit matrimonium celebratum, cùm mulier conſenſerit in eundem, & ille diſſenſerit *e* & diſſentiat, nec aliud quicquam *f* egerit, quàm ſuperius eſt expreſſum, niſi quòd cognovit eandem? Super quo tibi reſpondemus, quòd cùm præfatus vir prædictam deſponſaverit mulierem in propria perſona, & ſub nomine alieno, quo vocari tunc ſe finxit, & inter eos ſit carnalis copula ſubſecuta: videtur fortè pro conjugio præſumendum, niſi tu nobis expreſsè ſcripſiſſes, quòd ille non propoſuit, nec conſenſit illam ducere in uxorem: quod qualiter tibi conſtiterit non videmus. Nos autem, quod juris ſit reſcribentes, dicimus, quòd ſi res ita ſe habet, videlicet, quòd ille eam non propoſuit ducere in uxorem, nec unquam conſenſit in prædictam perſonam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cùm in eo nec ſubſtantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri: quoniam ex altera parte dolus ſolummodo adfuit, & defuit omninò conſenſus, ſine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.

CAP. XXVII.

*Ad denunciationem unius honeſti viri, qui defert conſanguinitatem, & de fama vel ſcandalo docet, impeditur matrimonium contrahendum.*

Idem *Epiſcopo Beluacen.*

CVm in *g* tua diœceſi: & infrà. Sanè quia contingit interdum, quòd aliquibus volentibus matrimonium contrahere, bannis (ut tuis verbis utamur) in ec-

a *Excludat.* b *Fernatinat. al. Ferrarienſ.* c *C. 1. eod. tit. in 1. comp.* d *ſufficientius.* e *C 3. eod. tit. in 3. comp. & de materia, videlicet quòd matrimonium contrahitur per nutus & ſigna internos conſenſus exprimentia: Vid. Thom. 4. ſent. diſt. 27. & ibi Sotum q. 1. art. 3.* f *C. 4. eod. tit. in 3. comp.* g *propoſuit coram nobis.*

a *Fortè legendum, & propter alienationem mentis: ſed nullus ex antiquis Codicibus aſtipulatur.* b *C. 5. eod. tit. in 3. comp.* c *dictio ſurdi, deeſt in omnibus Codicibus.* d *C. 1. eod. tit. in 4. comp.* e *In C. Bart. & ille diſſenſerit in eadem.* f *Aliquid.* g *C. 2. eod. tit. in 4. comp.*

clesiis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cleſiis editis, ac nullo contradictore publicè comparente, licet fama privatum impedimentum deferat parentelæ, cùm ex parte contrahentium juramenta majorum de ſua propinquitate (ut ſuſpicionis tollatur materia) offeruntur *a*: quid tibi ſit faciendum in caſibus hujuſmodi, quæſiviſti. Ad quod taliter reſpond. quòd ſi perſona gravis, cui fides ſit adhibenda, tibi denunciet, quòd hi, qui ſunt matrimonio copulandi, ſe propinquitate contingant, & de fama vel ſcandalo doceat, aut etiam per teipſum poſſis certificari de plano: non ſolùm debes juramenta parentum ſpontè oblata non recipere, verùm etiam eos, qui ſic contrahere nituntur, ſi moniti induci nequiverint, compellere, ut à tali contractu deſiſtant, vel contra famam hujuſmodi, ſecundùm tuæ diſcretionis arbitrium juramenta exhibeant propinquorum. Alioquin ſi perſona denuncians, non extiterit talis, ut diximus, & de fama *b*, vel de ſcandalo non poterit edoceri: ad deſiſtendum monere poteris, non compellere contrahentes.

### CAP. XXVIII.

*Mulieri, quæ negat ſe in matrimonium conſenſiſſe, non creditur, marito probante contrarium: ſecus ſi probat ſe conſenſiſſe per metum, qui poteſt cadere in conſtantem virum.*

Honorius III. *Epiſcopo Berguen.* c

COnſultationi *d* tuæ breviter reſpondemus, quòd mulieres, quæ veniunt ad valvas eccleſiæ benedicendæ cum ſponſis, & ibi reclamantes, adfirmant ſe nunquam in eorum matrimonium conſenſiſſe, audiri (ſponſis legitime probantibus contrarium) non oportet: cùm legitimis & idoneis teſtibus non debeat illarum ſimplex adſertio prævalere. Sanè illis, quæ benedictione accepta mox à ſponſis aufugiunt, ante carnis copulam ſubſecutam, adſerentes ſe nunquam in illos veraciter conſenſiſſe, ſed metu illato compulſas verba protuliſſe conſenſus, licet animo diſſentirent: non ſtatim eſt audientia deneganda, ſed de illato metu eſt cum diligentia inquirendum: & ſi talis metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in conſtantem *e* virum, erunt non immeritò audiendæ.

### CAP. XXIX.

*In matrimoniis & ſponſalibus debet eſſe libertas, unde in eis promiſſio pœna non obligat.*

Gregorius IX.

GEmma *f* mulier nobis expoſuit, quòd cùm T. filia ejus cum C. contraxit *g* matrimonium, B. de Alteнio ea occaſione, quòd inter P. filium ſuum, & prædictam puellam intra ſeptennium conſtitutos ſponſalia contracta fuerunt, pœnam ſolvendam à parte, quæ contraveniret, in ſtipulatione adpoſitam ab ipſa nititur extorquere. Cùm itaque libera matrimonia eſſe debeant, & ideò talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit meritò improbanda: mandamus, quatenus ſi eſt ita, eundem B. ut ab extorſione prædictæ pœnæ deſiſtat, eccleſiaſtica cenſura compellas.

### CAP. XXX.

*Sponſalia de futuro tranſeunt in matrimonium per carnalem copulam ſubſecutam, ſed non per niſum carnalis copulæ tantùm. h. d. cum c. fin. infra eodem.*

Idem *Epiſcopo Cenomanen.*

IS *h*, qui fidem dedit M. mulieri ſuper matrimonio contrahendo carnali copula ſubſecuta, etſi in facie eccleſiæ ducat aliam & cognoſcat, ad primam redire tenetur: quia licet præſumptum primum matrimonium videatur, contra præſumptionem tamen hujuſmodi non eſt probatio admittenda. Ex quo ſequitur, quòd nec verum, nec aliquod cenſetur matrimonium, quod de facto eſt poſtmodum ſubſecutum.

a *offerantur.* b *aut de fama, &c.* c *Beſguenenſ. alit. Beſguenſ. al. Belſguecenſ. al. Beſgueon. al. Bononienſ.* d *Vide Iul. Clarum in Pract. crim. §. fi. q. 6. unde intelliges, quæ ad hunc locum ſpectant.* e *Quis dicatur talis metus, vid. l. qui in aliena. §. fi. ff. de adqui. her.* f *Vid. conc. Trident. ſeſſ. 24. de reform. mat. c. 9. & Covarr. in Epiſt. 4. Decr. p. 2. c. 3. §. 1.* g *contraxerit.* h *Præter Henric. Boich. & Præpoſitum, vid. Covarr. in Epiſt. 4. Decret. p. 1. cap. 4. §. 1.*

### CAP. XXXI.

*Sponſalia de præſenti non ſolvuntur per ſequens matrimonium, etiam carnali copula conſummatum. Sed ſponſalia de futuro etiam jurata ſolvuntur per ſequentia de præſenti.*

Idem.

SI inter *a* virum & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita quòd unus alterum mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſſo recipiat, utroque dicente: Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum, vel alia verba conſenſum exprimentia de præſenti: ſive ſit juramentum interpoſitum, ſive non, non licet alteri ad alia vota tranſire: quòd ſi fecerit, ſecundum matrimonium de facto contractum (etiam ſi ſit carnalis copula ſubſecuta) ſeparari debet, & primum in ſua firmitate manere. Verùm ſi inter ipſos acceſſit *b* tantummodo promiſſio de futuro, utroque dicenti alteri: Ego te recipiam in meam, & ego te in meum, ſive verba ſimilia: ſi alius mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, etiam ſi inter ipſam & primum juramentum intervenerit (ſicut diximus) de futuro, hujuſmodi deſponſationis intuitu ſecundum matrimonium non poterit ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda.

### CAP. XXXII.

*Niſus ad copulam non facit ſponſalia de futuro tranſire in matrimonium.*

Idem.

ADoleſcens *c*, qui deſponſatam ſibi per verba de futuro, licet ſæpe niſus fuerit, carnaliter non cognoſcens, cum alia poſtmodum per verba de præſenti contraxit: non primam cum qua nec fuit verum matrimonium ex forma contractus, nec præſumptum, cùm conatus non habuiſſet effectum: ſed ſecundam debet habere uxorem.

## DE DESPONSATIONE IMPUBERUM.

## TITULUS II.

### CAP. I.

*Pater pro filio impubere ſponſalia contrahit, pro pubere verò non niſi conſentiat.*

Honorius *Euſebio Epiſcopo.*

TUa nos *d* requiſivit fraternitas de filio adulto, quem pater matrimonium vult contrahere, ſi ſine voluntate adulti filii facere poteſt. Ad quod dicimus, ſi aliquo modo non conſentit filius, fieri non poſſe. Poteſt autem filium nondum adultum (voluntas cujus diſcerni non poteſt) pater cui vult matrimonio tradere. Et poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omninò debet hoc adimplere.

### CAP. II.

*Impuberes ambo vel alter, niſi pro bonis pacis, conjungi non debent.*

Nicolaus Papa.

UBi non *e* eſt conſenſus: & infrà. Diſtrictius inhibemus, ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatē legibus, vel canonibus determinatam non pervenerit,

a *Vide Sot. 4. ſent. diſt. 27. q. 2. art. 5. Sylveſtrum in ſumma, verbo ſponſalia, q. 10. & Covarr. in epiſt. 4. Decr. pa. 1.* b *acceſſerit.* c *Præter Doctores, vide Geminianum & Francum in c. 1. idem de deſp. imp. l. 6. Sylveſt. in ſumma, verbo matrimonium, 2. q. 16. & Alc. tract. de præſumpt. reg. 3. præ. 38.* d *C. 2. eod. tit. in 1. compilatione.* e *C. 4. eod. tit. in 1. comp.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

conjungantur: Niſi fortè aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.

### CAP. III.

*Puberes ſunt, quoad matrimonium, qui ex habitu corporis concipere & generare jam poſſunt.*

Iſidorus.

PVberes à pube ſunt vocati, id eſt, à pudentia *a* corporis nuncupati, quia hæc loca primò lanuginem ducunt. Quidam tamen ex annis pubertatem æſtimant: id eſt, eum eſſe puberem, qui xiv. annos impleverit, quamvis tardiſſimè pubeſcat. Certum autem eſt, eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare jam poteſt. Et puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt.

### CAP. IV.

*Ex ſponſalibus contractis cum minore ſeptennio, non oritur impedimentum publicæ honeſtatis: ſecus ſi cum majore vel minore conſentiente poſt ſeptennium: & affinitas ſequens diſſolvit ſponſalia præcedentia de futuro.*

Alexander III. *Herford. Epiſc.*

LIteras *b* tuæ fraternitatis accepimus, ex quarum tenore perpendimus, quòd cùm quidam eſſet perfectæ ætatis, quandam puellam in cunabulis deſponſavit: procedente verò tempore matrem puellæ cognovit, & eam in uxorem accepit: [ 1 *& infra.*] Conſult. t. t. r. quòd ſi præfatus vir matrem puellæ, antequam ſeptimum annum compleſſet, in uxorem accepit, matrimonium non diſſolvas, cùm deſponſationes hujuſmodi nullæ ſint, quæ in cunabulis fiunt *c*. Verùm ſi poſtquam puella ſeptimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cùm ſponſalia extunc placere conſueverint: inter eos ſententiam divortii non differas promulgare, nec ipſum filiam, ſeu matrem habere permittas.

[ 1 *Unde quia dubitas, an hujuſmodi matrimonium ſtare debeat, à nobis exinde conſilium poſtulaſti. Super quo.*]

### CAP. V.

*Sponſalia nulla, ex defectu conſenſus, non creant publicæ honeſtatis juſtitiam: ſponſalia verò aliqua ſic, licet legitimo modo fuerint diſſoluta.*

Idem *Eboracen. Epiſc.*

ACceſſit *d* ad præſentiam noſtram: [ 1 *& ſ.*] Fr. t. mandamus, quatenus ſi tibi conſtiterit, quod puella non eſſet ſeptennis, quando G. *e* deſponſata fuit, & poſtea in eum non conſenſerit, & quòd idem G. ab hujuſmodi deſponſatione per te fuerit abſolutus *f*, matrimonium inter eundem Gu. & matrem puellæ celebratum præcipias inviolabiliter obſervari, & eorum prolem denuncies eſſe legitimam: quia deſponſationes & matrimonia ante ſeptem annos fieri non poſſunt, ſi conſenſus poſtea non accedit. Sanè ſi præfata puella ante deſponſationem ſeptimum annum compleverat, licet prædictus vir à deſponſatione ipſius puellæ ipſo jure fuerit abſolutus, cum ea in eum conſentire noluerit: inhoneſtum tamen videtur, ut matrem habeat, cujus filia fuit *g* ſibi deſponſata.

[ 1 *Nobilis vir VV. filius G. cum literis tuis, ex quarum tenore perpendimus, quòd cùm filiam cujuſdam nobilis viri, cùm eſſet minoris ætatis, deſponſaſſet, & poſtmodum ipſa aſſenſum in hac parte præbente, antequam ad nubiles annos perveniſſet, celebratum eſt inter eos divortium. Procedente verò tempore, defuncto patre puella matrem ejuſdem VV. in matrimonio copulavit, quod quidem factum ſuſtinere cùm nolles, eum ſolicitè monuiſti, ut ipſam dimitteret: & quia monitis tuis in hac parte noluit acquieſcere, ipſum excommunicationis vinculo innodaſti. Tandem accepta ab eo cautione, quòd noſtram adiret præſentiam, & ſuper hoc ſtatutum noſtrum firmiter obſervaret, eundem mandato noſtro abſolutum denunciaſti, & cum literis tuis ad præſentiam noſtram miſiſti: unde præfatus VV. in noſtra præſentia conſtitutus, ſuam nobis aſſertionem propoſuit, quod puellam ipſam, dum eſſet infra ſeptimum annum, deſponſavit, poſtea antequam ad annos nubiles perveniſſet, noluit aliquatenus conſentire ut præfatum VV. in virum acciperet, & ita cum patre ſuo in cujus poteſtate remanſerat, & cum præfato VV. ad tuam præſentiam acceſſiſſet, & cùm ab ore puellæ audiſſes, & per eam cognoviſſes, & per patrem ejus, quòd præfatum VV. in virum volebat, ſtatim illum in plena ſynodo ab hujuſmodi deſponſatione publicè abſolutum denunciaſti. Elapſis verò pluribus annis mortuo patre puellæ chariſſimus in Chriſto filius noſter H. Anglorum Rex ſupradictæ puellæ matrem memorato VV. tradidit in uxorem, quam idem VV. ut diſcordia orta inter conſanguineos ſuos & conſanguineos mulieris ſopiretur, accepit ſolenniter & deſponſavit, & ſine contradictione eccleſiæ duxit, & ex ea filios procreavit, & puella fuit alteri viro copulata. Verùm licet contineatur in literis ipſis, quòd puella ipſa erat minoris ætatis, quando ipſius deſponſatio facta fuit, tamen reſtat, utrum puella eſſet proxima ætati apta matrimonio, an infrà ſeptem annos. ideò.*]

### CAP. VI.

*Si impubes deſponſata, & traducta petit licentiam pubes facta alteri nubendi, non auditur, ſi vir jurat ſe eam cognoviſſe: nec auditur ſi nondum pubes, ſed proxima pubertati probetur cognita. Et ex ſponſalibus contractis cum impubere majore ſeptennis oritur publica honeſtas.*

Idem *Norvicen. Epiſcopo.*

COntinebatur *a* in literis tuis, quòd cùm quædam puella intra nubiles annos, cuidam in uxorem tradita fuerit, & ab ipſo traducta, hæc ad nubiles annos perveniens, alii nubendi licentiam poſtulavit, aſſerens ſe in eundem nullatenus conſenſiſſe: [ 1 *& infra.*] Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd cùm in decretis habeatur expreſſum, quòd ſi vir dixerit, quòd uxorem ſuam cognoverit *b*, & mulier negaverit, viri ſtandum eſt veritati: præfato viro, qui dicit ſe mulierem ipſam cognoviſſe, fides eſt adhibenda, ſi id firmaverit juramento. Si autem fuerit ætati proxima, ut in xi. vel circa xii. annum & cum ſuo aſſenſu deſponſata, & cognita ab eodem viro, ſeparari non debet, præſertim cùm parentes ejus ipſam fuiſſe ætatis legitimæ faterentur. Si verò *c* puella intra nubiles annos, alicui deſponſata fuerit, non licet alicui de conſanguinitate ipſius, cui deſponſata fuerit, eam ducere in uxorem, nec fas eſt eidem ſponſo de conſanguinitate ſponſæ, ſibi aliquam copulare.

[ 1 *Traductus verò vir proponit, quòd licet eadem puella annum fortè nondum xii. attigiſſet, cùm ei tradita fuit in uxorem, ipſa adeò tamen ætati proxima, quòd ipſam carnali commixtione cognovit. Inde eſt quòd cùm ipſa eidem viro dicit ſe incognitam, & tu nos conſuluiſti utrum alii poſſit nubere.*]

### CAP. VII.

*Si majores ſeptennio contrahunt ſponſalia, neuter ante pubertatem reſilire poteſt. hoc primò. Et ille, qui primò fit pubes, alterum expectabit. hoc ſecundo. Quòd ſi tempore contractus alter erat pubes, non ille, ſed alter factus pubes reſilire poteſt. hoc tertiò.*

Idem *Bathonien. Epiſc.* d

---

a *C.7. eod. tit. in 1. comp. vid. præ cæteris Hoſtienſem.* b *C.5. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III. p.12. c.2. & de impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis, vid. conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. matr. c.3. vid. ſupra citatos tit. præc. c. ad audientiam. & Covarr. in ep. 4. deciſ. p.1. c.2.* c *Vide leg. quantum ff. de ſponſ.* d *C.6. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III. p.6. c.7.* e *al. V. al. ita: quando ab G. deſponſata: al. ab V. deſponſata.* f *vide citatos c. præcedenti.* g *fuerat.*

a *C.8. eod. tit. in 1. comp. & poſt. conc. Lat. ſub Alex. III. p.6. c.14.* b *cognovit.* c *Vid. Trid. ſeſſ. 24. de reform. ca.3.* d *Baton. al. Barthonienſ. ſed ut plurimum, Bathonienſ.*

De

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE *a* illis qui intra annos aptos matrimoniis ſponſalia contrahunt, ſive uterque, ſive alter reclamet antequam ad annos matrimoniis aptos pervenerint, & poſtulent ſeparari, non ſunt ullatenus audiendi. Si verò alteruter iſtorum ad annos pubertatis pervenerit, intra eosdem annos altero exiſtente cùm ſponſàlia contrahuntur: ſi is, qui minoris ætatis eſt, cùm ad annos illos pervenerit, reclamaverit, nec in alterum voluerit conſentire, judicio eccleſiæ poterunt ab invicem ſeparari. Mulier autem, quæ poſtquam annos nubiles attigit, ei, qui nondum ad annos aptos matrimoniis venerat, nupſit, cùm in eum ſemel conſenſerit, amplius non poterit diſſentire, niſi ipſe cui nupſit, poſtquam ad legitimam ætatem pervenerit, in eam ſuum negaverit præſtare conſenſum. *b*

## CAP. VIII.

*Impuberes ſponſalia contrahentes ante pubertatem ſeparari non debent, ſed poſt pubertatem poſſunt, ſi contradicunt ſponſalibus, niſi copula carnalis intervenerit.*

Idem *eidem.*

A Nobis *c* tua diſcretio requiſivit, utrum iis, qui intra annos nubiles matrimonii nomine conjunguntur, vel eorum alteri, antequam ad annos aptos matrimonio perveniant, liceat à matrimonio tali diſcedere. Ad quod reſpondemus, quòd pro eo, quod ante nubiles annos conjugalem conſenſum non habent, uſque ad legitimam ætatem expectare tenentur: & tunc aut confirmetur matrimonium, aut (ſi ſimul eſſe noluerint) ſeparentur, niſi *d* carnalis commiſtio antè intervenerit, cùm interdum illa tempus anticipare ſoleat pubertatis.

## CAP. IX.

*Minores apti ad matrimonium ex contractu matrimonii obligantur, niſi violentia intercedat.*

Idem *Gennen. Archiepiſc.* e

DE illis *f* qui in minori ætate deſponſantur: [1 & j.] Reſpondemus, quòd ſi ita fuerint ætati proximi, quòd potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent *g*, ſi unus in alium viſus fuerit conſenſiſſe, cùm in eis ætatem ſuppleviſſe malitia videtur: ſed cujuſcunque ſint ætatis, ſe poſſunt per illatam violentiam excuſare, niſi poſt violentiam conſenſus accedat.

[1 *Traduntur & conjunguntur, & proceſſu temporis divortium poſtulant, minorem allegantes ætatem, aut vim ſibi à parentibus factam, hoc inq. t. r.*]

## CAP. X.

*Contractus ante pubertatem, etiam cum niſu carnalis copulæ, non facit matrimonium.*

Vrbanus III. *Cenoman. Epiſcopo.*

ATteſtationes *h* ſuper cauſa matrimonii, quæ inter H. juvenem & G. mulierem vertitur, accepimus, & ipſis inſpectis nobis innotuit, quòd prædictus juvenis nondum duodecimum annum attigerat, cùm præfatam G. accepit uxorem: & licet niſus fuiſſet (ſicut uterque confeſſus eſt) ipſam corrumpere, mulier tamen credit ſe virginem evaſiſſe: verùm ipſe antequam ad annum xiv. perveniſſet, à memorata muliere receſſit, quem cùm xvii. annos habeat, eadem pro viro ſibi vindicare contendit: [1 *& infrà.*] Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi mulier per idoneos teſtes probare nequiverit, quòd poſt xiv. annum ætatis ſuæ, vel circa finem xiv. anni prædictus juvenis conſenſiſſet in eam, ab ipſo juramento recepto, quòd poſtquam ad legitimam ætatem pervenit, ipſam habere non conſenſit in uxorem: ab impetitione mulieris eum potes & debes abſolvere, & ad alia vota utrique dare licentiam tranſeundi.

[1 *Sed cùm vir xvii. annos habeat, eam recipere contradicit. Unde quia donec nos ſuper ipſa conſuleres, non duxiſti in prolatione ſententiæ procedere.*]

## CAP. XI.

*Si major invitus contraxit ſponſalia cum minore, non tenetur ipſum expectare donec veniat ad ætatem adultam.*

Idem *Piſano Archiepiſcopo.*

EX literis *a* tuæ frat. accepimus, quòd puella quædam anno xii. jurata fuit & deſponſata cuidam puero ix. vel x. anno *b*, & tempore procedente, de voluntate parentum potius, quàm de ſua (ſicut adſerit) ad domum patris pueri *c* adducta, ubi dolens & invita, minis parentum impulſa, moram fecit per annum & amplius, & tandem inde recedens, ad domum propriam eſt regreſſa: [1 & j.] Cùm autem dictus puer nondum ad xiv. annum pervenerit, nec ad eandem carnaliter acceſſum habuit, diſ. tuæ taliter reſpon. quòd ſi puella commonita, ut donec compleat idem per annum xiv. expectet, non duxerit expectandum: ei ſecundùm ea, quæ propoſita ſunt, accipiendi alium virum liberam tribuas facultatem. *d*

[1 *Commonita verò à matre ſua, & à te, poſtmodum ad eum redire penitus contradixit, aſſerens, quòd nunquam eum voluit, nec vult in virum habere, ſed nubendi alii poſtulat facultatem. Unde quia quid ſuper hoc agendum ſit, à nobis, tua frat. requiſivit.*]

## CAP. XII.

*Sponſalia contracta cum minore ſeptennio, per cohabitationem mutuam poſt ſeptennium convaleſcunt, & inducunt publicæ honeſtatis juſtitiam: ſolvuntur tamen per matrimonium de præſenti.*

Clemens III.

DVo pueri *e* Guillelmus & Guillelma matrimonialiter ſunt conjuncti, puero vi. puella verò vii. annum agente: qui ſimul per tres annos manſerunt: tunc pater puellæ ſubtrahens eam ſponſo, ipſam alteri N. nomine copulavit, cum quo per vii. annos quietè permanſit: ipſe verò tunc reliquit eandem, quia credebat eam alium virum habere, illum ſcilicet *f* cui prius fuerat deſponſata. Prior autem ſponſus ad annos diſcretionis perveniens, à prædeceſſore tuo contrahendi cum alia licentiam impetravit: qui quandam nomine S. conſobrinam prioris in uxorem accepit, & cum ea per aliquod tempus exiſtens, eam (ut ipſe fatetur) carnaliter non cognovit, licet illa *g* ſe ab eo cognitam adſeveret. Cùm autem pater memoratæ Guillel. eam vidiſſet à ſecundo viro relictam, prænominatum Guillel. cui prius eam deſponſaverat, compulit ut S. nepotem ſuam omninò dimitteret, & ad Guillelmum ſuam deſponſatam rediret: qui poſtmodum per biennium cohabitavit eidem. Quia igitur quid tibi faciendum ſit, poſtulas edoceri: Breviter reſpondemus, quòd impediente puerili ætate matrimonium inter G. & G. non fuit: & licet idem poſtquam illa nupſit alii, potuerit aliam ducere uxorem, tamen quia dictam S. duxit conſobrinam mulieris ejusdem, ſive eam cognoverit ſive non, non debet tamen cum eadem S. propter publicæ honeſtatis juſtitiam remanere, nec ad primam habere regreſſum, quia alteri fuit legitimè copulata; & infrà. Cùm verò vir caput ſit mulieris: & Guillelmus dicat ſe non cognoviſſe prius S. ſupradictam: aliam, ſi voluerit,

---

a *C. 9. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 26. c. 29. & vide Covarr. in ep. 4. Decr. c. 5. §. 1.* b *Vide l. nuptias. cum ſimilib. ff. de reg. jur.* c *C. 10. eod. tit. in 1. comp. vide Covarr. citatum ſup. c. de illis.* d *carnis.* e *Ianuenſi.* f *C. 12. eod. tit. in 1. comp. Et poſt conc. Lat. p. 50. c. 41. §. de illis verò.* g *Vide l. pe. ff. quan- di. leg. ce. & l. continuus. §. cùm ita. ff. de verb. obl.* h *C. 13. e... in 1. comp. vide Covarr. in ep. 4. Decr. p. 1. c. 4. §. 1. num. fi...*

a *C. 14. eod. tit. in 1. comp.* b *annorum.* c *ducta al. abducta.* d *Vide l. ſi pater. & ibi Bart. C. de ſponſal.* e *Ca. un. ... tit. in 2. comp. vide Sylveſt. in ſumma, verbo ſponſ. & Sot. 4. ſent. 27. q. 2. art. 1. & ſeq.* f *Aliàs, ita: Guillelmum ſcilicet, & c. ea.*

poterit ducere in uxorem, & S. viro legitimo copulari: poſt ſeparationem verò, pro vitando populi ſcandalo, utrique ad tempus eſt pœnitentia injungenda. Si verò legitimè conſtaret ipſam S. ab eo ſive poſt, ſive antea cognitam extitiſſe, neutri, vivente altero, dabitur licentia contrahendi. Remanebit ergo Guillelma cum M. impoſita ipſi M. ad tempus pœnitentia competenti, qui pro ſua opinione ſola Guill. (judicio eccleſiæ non requiſito) dimiſit.

### CAP. XIII.

*Accuſari non poteſt matrimonium, quod non eſt, ut ſi cum minori ſeptennio ſit contractum: denunciari tamen poteſt impedimentum, ne contrahatur in poſterum.*

Innocentius III. *C. & P. quondam filiis Malebrancæ.* a

AD diſſolvendum *b*, quod factum fuerat inter I. & S. [ 1 & ſ.] Accuſatione pro puella ſuper conſanguinitate propoſita, præfatus I. multas exceptiones propoſuit: per quas nitebatur vos ab accuſatione multipliciter removere: [ 2 & ſ.] Interloquendo pronunciavimus, inter juvenem & puellam nec matrimonium nec ſponſalia fuiſſe contracta: cùm conſtet puellam nondum ad ſeptennium perveniſſe. Quocirca nec accuſatio locum habebat, cùm non eſſet, quod poſſet legitimè accuſari. Denunciari tamen poterat conſanguinitas, ut interdiceretur matrimonium contrahendum. Ad denunciationem ergo legitimè probandam terminum adſignamus, ſalvis exceptionibus non ſolùm propoſitis, ſed etiam proponendis. Ne verò quicquam in puellam interim adtentetur, auctoritate Apoſt. interdicimus, ne in negotio de novo procedatur ulterius, donec vel à denunciatione ceſſetur, vel ea probata ordine judiciario procedatur. Quòd ſi contra interdictum noſtrum in præjudicium ipſius aliquid fuerit adtentatum, id *c* irritum eſſe decernimus, & viribus omninò carere.

[ 1 *Filiam quondam M. ſuper matrimonio contrahendo, in noſtra & fratrum noſtrorum præſentia fuit propoſitum, quòd cùm dicta puella nondum ad ſeptennium perveniſſet, de ipſa nec matrimonium contrahi, nec ſponſalia potuerunt: deſuit etiam conſanguineorum aſſenſus, qui præcipuè ſunt in talibus requirendi: quòd & ſi ætas ſufficiens extitiſſet, & conſanguineorum interveniſſet aſſenſus, perſonæ tamen non ſunt idoneæ ad matrimonium contrahendum, linea conſanguinitatis obſtante.*]

[ 2 *Cumque ſuper exceptionibus ipſius fuiſſet diutius diſceptatum, auditis & intellectis quæcunque fuerunt hincinde propoſita, de conſilio f. n.*]

### CAP. XIV.

*Si quis per verba de præſenti contrahit cum impubere, in qua ætatem malitia non ſupplet, intelligitur non matrimonium, ſed ſponſalia contraxiſſe, etiam ſi ſubarratio interceſſerit.*

Idem *Epiſcopo Abbaten.* d

TVæ nobis *e* exhibitæ literæ continebant, quòd quidam filiam ſuam circiter xii. annos habentem, cuidam nobili deſponſavit, qui ſubarravit eandem, conſenſu mutuo accedente: [ 1 & ſ.] Quia verò nobis conſtare non potuit, cujus ætatis eſſet puella, cùm eidem viro extitit deſponſata, cùm dicatur, quòd circiter xii. annos habebat, utrum ne prudentia tunc in illa ſuppleret ætatem: reſpondemus, quòd ſi puella nubilis non erat ætatis, cùm ſæpè fatus *f* vir deſponſavit eandem, & ætatem in ea prudentia non ſupplebat, proculdubio inter eos non conjugium, ſed ſponſalia contracta fuerunt, quamvis ab ipſo viro eadem fuerit ſubarrata.

[ 1 *Super nuptiis aliquantulum prorogatis, pater puellæ viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, eo autem rebus humanis exempto, puellæ avunculus ſupradictæ ipſam alteri matrimonio copulavit, & ille qui prius deſponſaverat eandem, cum ipſius matrimonium contraxit. Tuus autem prædeceſſor attendens, quòd cum ea non poterat permanere, cujus filiam legitimè deſponſaverat, inter eos divortii ſententiam promulgavit. Poſtmodum autem mortuo viro ſecundo, qui ſupradictam puellam duxerat in uxorem, ipſa ſe tertio copulavit, illo vivente qui prius eam deſponſarat. Cæterùm, tam ipſa quàm vir idem te duxerunt humiliter conſulendum, utrum licitè valeant commorari: tu verò deliberatione habita, reſpondiſti, quòd primo ſponſo vivente alter non potuit legitimè copulari. Sed quia tua eccleſia poſtulavit, ut ſuper hoc ſed. Apoſtol. conſuleres, procedere diſtuliſti, nobis humiliter ſupplicans, ut ſuper hoc tibi reſcribere dignaremur.*]

## DE CLANDESTINA DESPONSATIONE. a

## TITVLVS III.

### CAP. I.

*Pro clandeſtino matrimonio non præſumitur, ſed illud allegant incumbit onus probandi.*

*Ex* concilio Arelaten.

SI quis clàm deſponſaverit aliquam, & mulier vel vir negat hujuſmodi deſponſationem: Viro incumbit probatio.

### CAP. II.

*Qui matrimonium clandeſtinè contraxerint, altero negante vel utroque, non adparente legitima exinde probatione, ſimul cohabitare ab eccleſia non compelluntur: & ſi illud publicaverint, tanquam in conſpectu eccleſiæ factum comprobabitur, niſi rationabilis cauſa ſubſit, quæ impediat. h. d. literæ inhærendo.*

Alexander III. *Beluacen. Epiſcopo.*

QVòd *b* nobis: [ 1 & ſ.] Si enim matrimonia ita occultè contrahuntur, quòd exinde legitima probatio non appareat: ii, qui ea contrahunt, ab eccleſia non ſunt aliquatenus compellendi. Verùm ſi perſonæ contrahentium hæc voluerint publicare, niſi rationabilis cauſa præpediat, ab eccleſia recipienda ſunt & comprobanda, tanquam à principio in eccleſiæ conſpectu contracta.

[ 1 *Ex tua parte ſignificatum eſt, ut de clandeſtinis matrimoniis diſpenſare deberemus, non videmus quæ diſpenſatio ſuper his ſit.*]

### CAP. III.

*Cùm matrimonia ſunt contrahenda, debent per Presbyteros in eccleſia edicta proponi, adſignato termino, intra quem, qui voluerit impedire, impedimentum opponat: & ſi probabilis conſilia fuerit de impedimento, interdicatur matrimonium, donec de eo cognoſcatur, hoc primo uſque ad §. Si quis.*

Innocentius III. *in Concilio generali.* c

CVm inhibitio copulæ *d* conjugalis ſit in ultimis tribus gradibus revocata, eam in aliis volumus diſtrictè ſervari. Vnde prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærendo, clandeſtina conjugia penitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis ſacerdos talibus intereſſe præſumat. Quare ſpecialem quorundam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando, ſtatuimus, ut cùm matrimonia fuerint contrahenda, in eccleſiis per Presbyteros publicè proponantur *e*, competenti termino præfinito: ut intra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat, & ipſi Presbyteri nihilominus inveſtigent, utrum aliquod impe-

a *Al. Malabranca.* b *C. 1. eod. tit. in 3. comp. vid. Sotum ca. ſuperiori citatum.* c *illud.* d *Abertaden. al. Albertaden. al. Albeten. al. Abbataden.* e *Ca. 2. eod. tit. in 3. comp. vid. Cova. in epit. 4. Decret. part. 2. c. 4. §. 2. num. 2.* f *ſæpè præfatus, al. ſæpè dictus.*

a *Clandeſtinas deſponſationes & conjugia noviſſimè irrita fecit conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. matr. c. 1. unde ceſſant hac de re veterum altercationes interpretum.* b *C. 3. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 50. c. 17.* c *Scilicet Lat. c. 51.* d *C. un. de clandeſt. matr. in 4. comp.* e *proponatur.*

dimentum

dimentum obſiſtat. Cùm autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expreſsè, donec quid fieri debeat ſuper eo, manifeſtis conſtiterit documentis.

*Si in gradu prohibito matrimonium clandeſtinè vel contra interdictum, de quo ſuprà, contractum fuerit etiam per ignorantes de impedimento, nati ex illo matrimonio ſunt illegitimi. Idem eſt ſi ambo parentes ſciunt impedimentum matrimonii, licet in conſpectu eccleſiæ contrahant. h. d. uſq; ad §. Sanè. Ab.*

Siquis verò hujuſmodi *a* clandeſtina vel interdicta conjugia inire præſumpſerit, in gradu prohibito etiam ignoranter, ſoboles de tali conjunctione ſuſcepta, prorſus illegitima cenſeatur, de parentum ignorantia nullum habitura ſubſidium: cùm illi taliter contrahendo non expertes ſcientiæ, vel ſaltem affectatores ignorantiæ videantur: pari modo proles illegitima cenſeatur, ſi ambo parentes impedimentum ſcientes legitimum, præter omne interdictum, etiam in conſpectu eccleſiæ contrahere præſumpſerunt.

*Sacerdos, qui contempſerit prohibere matrimonia interdicta, & quilibet clericus etiam regularis, qui interfuit, per triennium à beneficio ſuſpenduntur, & ſi culpa exegerit, etiam gravius puniuntur: ipſi etiam contrahentes contra hoc cap. etiam aliàs licitè, puniendi ſunt, & idem in calumnioſè denunciantibus. hoc dicit, uſq; ad finem. Abbas.*

Sanè ſi parochialis ſacerdos tales conjunctiones prohibere contempſerit, aut quilibet etiam regularis, qui eis præſumpſerit intereſſe, per triennium ab officio ſuſpendatur, gravius puniendus, ſi culpæ qualitas poſtulaverit. Sed his, qui taliter præſumpſerint, etiam in gradu conceſſo copulari, condigna pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitioſè *b* impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem.

## DE SPONSA DVORVM.

### *TITVLVS IV.*

### CAP. I.

*Contrahens ſucceſſivè per verba de præſenti cum duabus, tenetur adhærere primæ. Si autem primò contraxit per verba de futuro, ſecundò per verba de præſenti, adhærebit ſecundæ.*

Auguſtinus *de fide pactionis & conſenſus.*

DVobus *c* modis dicitur fides, pactionis, & conſenſus. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam *d* ducere: ſi aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita: maneat tamen cum illa, quam duxit. Non enim reſcindi tantum debet ſacramentum. Si autem fecerit fidem conſenſus, non licet ei aliam ducere: ſi autem duxerit, dimittet ipſam, & adhærebit priori. Eſt autem fides pactionis, quando aliquis promittit alicui fidem, quòd eam ducet, ſi permiſerit eum rem ſecum habere, vel etiam pro conſenſu. Fides autem conſenſus eſt, quando non ſtringit manum, corde tamen & ore conſentit ducere, & mutuò ſe concedunt unus alii, & mutuò ſe ſuſcipiunt.

### CAP. II.

*Ponit pœnitentiam illius, qui alterius ſponſam de præſenti accepit in uxorem, nec unquam in uxorem eam habere poteſt. hoc dicit, juxta literam.*

Ex Brochardo lib. 30.

ACcepiſti illam in *e* uxorem tibi, quam alter ſibi deſponſatam habuerat, dimitte illam: quia nunquam poteſt tibi fieri legitima: & 40. dies in pane & aqua (quod *a* carinam vocant) cum 7. ſequentibus annis pœniteas.

### CAP. III.

*Sponſalia de præſenti non ſolvuntur per ſequens matrimonium, etiam carnali copula conſummatum.*

Alexander III. *Salernitano Archiepiſcopo.*

LIcet *b* præter ſolitum: [ 1 *& infrà.* ] Conſultationi tuæ taliter reſpondem. quòd ſi inter virum & mulierem legitimus conſenſus interveniat de præſenti, ita quidem, quòd unus alterum in ſuo mutuo conſenſu verbis conſuetis expreſsè *c* recipiat, utroque dicente: Ego te accipio in meam, & ego accipio te in meum: ſive ſit juramentum interpoſitum ſive non, non licet mulieri alii nubere. Et ſi nupſerit, etiam ſi carnalis copula ſit ſecuta, ab eo ſeparari debet, & ut ad primum redeat, eccleſiaſtica diſtrictione compelli: Quamvis aliter à quibuſdam prædeceſſoribus noſtris ſit aliquando judicatum.

[ 1 *Et amplius ſolito multis ſimus & magnis negotiis prædıti, & ita quòd non ſit nobis facile, aliquorum conſultationibus reſpondere: illa tamen ſpeciali gratia quam ad perſonam tuam habemus, & fraterna cogimur charitate quid ſentiamus de his ſuper quibus nos conſulit dilect. tua, præſentibus literis volumus aperire. Conſuluiſti nos ſiquidem, utrum ſi inter virum & mulierem præſtito, vel non præſtito juramento, legitimus conſenſus intervenerit & præſenti copula carnali non ſubſecuta, liceat mulieri alii nubere, vel ſi nupſerit alii, & carnalis fuerit copula ſubſecuta, an ab ipſo debeat ſeparari.* ]

### CAP. IV.

*Et qui appellat in cauſa matrimoniali, interdici debet, ne aliud matrimonium contrahat lite pendente: & ſi contraxerit, debet ſeparari.*

Idem *Genuen.* d *Archiepiſcopo.*

TVa *e* fraternitas nos conſulu. [ 1 *& infrà.* ] De his verò, quia coram te ſuper deſponſatione facta per conſenſum mutuum de præſenti, controverſiam movent, & appellatione pendente, quam ante ſententiam vel cognitionem cauſæ ad ſedem Apoſtolicam interponunt, accipiunt alias uxores. Hoc arbitramur agendum, ut ſi amodò in tali caſu duxerint appellandum, eis in eccleſia publicè interdicas, ne ante deciſionem cauſæ, aliud contrahant matrimonium. Et ſi contra *f* interdictum eccleſiæ publicè factum venire præſumpſerint, matrimonium tam præſumptuosè contractum poteris irritare.

[ 1 *Quid de his agere debeamus qui deſponſant aliquas mulieres, & proceſſu temporis antequam eas ducant vel cognoſcant, alias accipiant in uxores. Super quo utique conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſi vir & mulier ſeſe recipiunt expreſſe conſenſu de præſenti mutuo, neuter eorum altero ſuperſtite poterit ad alia vota tranſire, & ſi poſſit ad monaſterium tranſmigrare. Verùm ſi inter ipſos non acceſſit conſenſus de præſenti, ſed promiſſio de futuro, videlicet quod uterq; dixit alteri: Ego te recipiam in meam, & ego te in meum, & alius eam mulierem deſponſavit & traduxit: etiam ſi inter primos juramentum fuit, ſicut diximus de futuro hujus deſponſationis intuitu, ſecundum non poterit matrimonium ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei pœnitentia injungenda.* ]

### CAP. V.

*Qui duas per verba de præſenti deſponſat, primam deſponſatam habebit in uxorem, etiam ſi priùs ſecundam cognoverit: nec valet contraria conſuetudo. & hoc ultimum additur ad cap. Licet ſuprà eodem.*

---

a *Triden. ſeſſ. 24. de refor. matr. c. 5. & Clem. un. de conſang. & affinit.* b *malitioſum.* c *C. 1. eod. tit. in 1. compil. vid. Ioan. majoris. 4. ſent. diſt. 27. q 5. & Sot. q. 2. art. 4. verſ. 3. dubium eſt.* d *al. ita: aliam ducere uxorem.* e *Ca. 2. eod. tit. in 1. compil.*

a *Carenam. al. Carentenam. Contius in marg.* b *Ca. 3. eo. tit. in 1. comp.* c *expreſſo.* d *Ianuen. ſed idem eſt.* e *Ca. 7. eo. tit. in 1. compilat.* f *al. ita: & ſi contra interdictum eccleſiæ ita publicè factum, &c.*

Innocentius *Mutinen. Epiſcopo.*

TVas *a* dudum: *& infra.* De conſuetudine, quæ diu in Mutinen. obtinuit civitate, ut ſi quis juraret ſe aliquam ducturum. & citra carnis copulam deſponſaſſet, ſi conſequenter deſponſaſſet aliam, & etiam cognoviſſet: primo cognita adjudicaretur viro, non quæ prius extitit deſponſata, *& infrà.*

Ne verò turpis ſit pars, quæ ſuo non congruit univerſo, & eccleſia Mutinen. tenere debeat humiliter, & ſervare *b* quod beati Petri ſedem & ſuam metropolim ſequi viderit & docere, in matrimoniis de cætero contrahendis: illud te volumus obſervare, ut poſtquam inter legitimas perſonas conſenſus legitimus intervenerit de præſenti; qui ſufficit in talibus juxta canonicas ſanctiones: & ſi ſolus defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur, ſi perſonæ junctæ legitimè cum aliis poſtea de facto contrahant *c*: quod priùs de jure factum fuerat, non poterit irritari.

## DE CONDITIONIBVS APPOSITIS IN DESPONSATIONE VEL IN ALIIS CONTRACTIBUS.

### TITVLVS V.

#### CAP. I.

*Defectus turpis conditionis in contractu matrimonii appoſita, non vitiat matrimonium, ſed vitiatur.*

*Ex* Concilio Africano *d.*

QVicunque *e* ſub conditionis nomine aliquam deſponſaverit, & eam relinquere voluerit: dicimus quòd frangatur conditio, & deſponſatio irrefragabiliter teneatur.

#### CAP. II.

*Servus manumiſſus ea conditione, ut fiat Monachus, & monaſterio ſerviat, aliàs in ſervitutem redeat: ſi hoc acceptato Monachus factus ſit, manumittentis voluntatem cogitur obſervare.*

Gregorius *Epiſcopo Spoletan.*

CVm *f* ſit proprium: *& infrà.* H. Presbyter conqueſtus eſt Diaconum quendam manumiſiſſe duo mancipia ſub hac conditione, ut Monachi fierent, & in eo monaſterio, ut ipſe fuerat, permanerent, adjiciens ut ſi quis contra faceret, ſervituti iterum ſubderetur: atque unum ex his (hac conditione deſpecta) monaſterium deſeruiſſe, & ſe inter clericos ſociaſſe. Tu ergo ſi ita eſſe repereris, ſic te exhibe, ut nec illi monaſterium deſerendi ſit facultas, & manumittentis voluntas non valeat præteriri.

#### CAP. III.

*Qui juravit aliquam in uxorem accipere, ſi centum ſibi donaverit, centum non datis, recipere non tenetur, niſi poſtea purè conſenſerit vel eam cognoverit.*

Alexander III. *Pannorm. Archiepiſc.*

DE illis *g: & infra.* Si verò aliquis ſub hujuſmodi verbis juramentum alicui mulieri præſtitit, Ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris: Reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſolvere, quod ſibi dari petiit, non acceperit in uxorem, niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis ſit inter eos commixtio ſubſecuta.

#### CAP. IV.

*Res donata eccleſiæ ſub modo, ſtatim eſt eccleſiæ, nec revocatur, modo non ſervato, niſi hoc in contractu ſit expreſſum. hoc dicit, ſecundum veriorem intellectum. Et eſt textus multum notabilis, & valdè allegabilis. Abbas Siculus.*

Idem.

VErùm *a* cùm alicui eccleſiæ poſſeſſio quælibet interpoſita conditione donatur, à donatore donum poſtea revocari non poteſt: Niſi fortè tali ſit conditione collatum, quòd ea ceſſante, debeat revocari.

#### CAP. V.

*Contrahens matrimonium ſub conditione non improbata non compellitur matrimonium conſummare ante conditionis eventum.*

Vrbanus III.

SVper eo *b* verò, quod poſtulaſti, utrum ille, qui in quandam mulierem conſenſit, ſi pater ejus ſuum præſtaret adſenſum, ſit ad conſummandum matrimonium compellendus: reſpondemus, quòd cùm conſenſus liber dici non poſſit, qui in alieno arbitrio reſervatur, ac conditionem ipſam canonica non improbent inſtituta, niſi voluntas patris poſtmodum intercedat, nequaquam cogendus eſt ad matrimonium contrahendum. Nam licet Alexander Papa reſponderit, quòd ſponſalia, interpoſita conditione, contracta: ipſa non impleta, ſi conſenſus de præſenti intercedat, vel carnalis copula ſubſequatur, diſſolvi non debent, ſed firmiter obſervari: nequaquam eſt noſtræ definitioni adverſum, cùm hujuſmodi conſenſus acciderit de præſenti habendus, licet per verba de præſenti evidentius exprimatur: qui in alieno arbitrio non habito, ſed habendo conſiſtit.

#### CAP. VI.

*Qui ſub honeſta conditione ſponſalia contrahit, & ante conditionis eventum deſponſatam cognoſcit, à conditione recedit.*

Innocentius III. *Maſican.* c *Epiſc.*

PEr tuas *d* literas intimaſti, quòd cùm quædam mulier P. nomine, N. poſtularet in virum, adſerens inter ſe mutuum de præſenti conſenſum interveniſſe, & carnalem copulam acceſſiſſe: vir ipſe quamvis contracta ſponſalia, & carnis copulam non negaret, adſerebat tamen ſe illam in uxorem ducere non teneri: quia ſponſalia inter ipſos ſub hac fuerunt conditione contracta, ſi pater & ejus patruus ſponſalibus conſentirent: ſed ipſi quàm citò noverunt, & ſponſo contradixerunt & ſponſæ. Verùm mulier replicabat, quòd licet fides præſtita fuerit ab utroq; ſub conditione præſcripta, nontamen ſibi fuerat à patre viri, vel patruo aliquando contradictum: & ante tempus contradictionis expreſſum à teſtibus & poſt, dicebat inter ſe carnalem copulam acceſſiſſe: [ 1 *& infrà.* ] *e* Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cùm liquidò conſtet, quòd poſt contracta ſponſalia, carnalis eſt inter eos copula ſubſecuta, pro matrimonio eſt præſumendum, quia videtur à conditione appoſita receſſiſſe. Nam & ſi probatum ſit, quòd poſtquam pater & patruus viri contradixêre ſponſalibus, idem vir mulierem illam carnali *f* conjunctione cognoverit: non eſt tamen aliquo modo probatum, quòd antequam ipſe cognoviſſet eandem, pater ejus & patruus contradicere curaviſſent.

[ 1 *Addebat præterea quod licet à principio conditionaliter contraxiſſent, temporis tamen proceſſu ſine conditionis adjectione purè in matrimonium conſenſerint, & hoc aſſerebat ſe teſtibus probaturam: receptis itaque teſtibus utriuſque partis, cum atteſtationibus mulieris, coram te præſentibus duobus examinatoribus faceres publicari: teſtes ipſi dixerunt quòd dicta quæ ibi legebantur non dixerant, quorum lege dicebantur, & quæ depoſuerant ſcripta*

a *Cap.1. eod. tit. in 3. compil.* b *obſervare.* c *contrahunt.* d *In Conc. Africanis hoc nondum inventum eſt, ut refert Grat. ſive Palea 27. quæſt. 2. ca. quicunque, & habetur poſt Concil. Lateran. ſub Alexand. III. part. 6. c. 5.* e *Ca. 1. eod. titul. in 1. compilat.* f *Ca. 2. eod. tit. in 1. comp.* g *Ca. 4. tit. de ſponſal. in 1. compilat. & poſt Con. Lat. p. 6. c. 12.*

a *Cap. 3. eod. tit. in 1. comp. & poſt Con. Lat. p. 29. c. 3. & ca. 1. eod. tit. De conſuet. in 1. compil.* b *Cap. 4. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. p. 6. c. 21.* c *Marſican. al. Marſiano. al. Marſitan.* d *Ca. 1. eod. tit. in 1. comp.* e *Vid. l. & ſi contra in ver. depoſitum. C. de nupt.* f *al. commixtione.*

non

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*non erant, ſed ab uno examinatorum tunc contra eos fuit fortiter obviatum, & ob hoc mulier poſtulabat, ut iidem teſtes vel alii ſuper eiſdem capitulis iterum audirentur: tunc autem hac novitate commotus ſequentem diem partibus præfixiſti, quibus in tua præſentia conſtitutis, omnes examinatores convocari juſſiſti, ſub interminatione anathematis illos obteſtans, ut dicerent ſi eſſent illæ veræ atteſtationes, quibus obviaverant teſtes, qui continuò alias atteſtationes in medium produxerunt: quibus cùm per advocatum viri fuiſſet objectum, ſicut prioribus fuerat obviatum: poſt allegationes multiplices ſecundæ atteſtationes à partibus admiſſæ fuerunt, & cum atteſtationibus uni poſtea publicatæ. Porrò cùm mulier illi præcipuè articulo inſiſtebat, quòd ante renunciationem ſponſalium & poſt, idem vir carnaliter eam cognoverat, & ex ea filiam procreaverat, & proprio nitebatur oſtendere juramento. Quia verò ſuper his non ſolùm opiniones varias ſed contrarias accepiſti, & ad magiſterium ſed. Apoſtol. recurrens, humiliter poſtulaſti, quid ſentiendum ſit in talibus edoceri.]*

## CAP. VII.

*Si in contractu matrimonii apponitur conditio turpis vel impoſſibilis, habetur pro non adjecta, niſi ſit contra ſubſtantiam matrimonii, quia tunc vitiat contractum. hoc dicit, capitulum notabile, & multum allegabile.*

Gregorius IX.

SI conditiones *a* contra ſubſtantiam conjugii inſerantur, putà ſi alter dicat alteri: Contraho tecum ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcunque ſit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ *b* conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes aut impoſſibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi.

# QVI CLERICI VEL VOVENTES matrimonium contrahere poſſunt.

## *TITVLVS VI.*

## CAP. I.

*Diaconus vel Subdiaconus matrimonium contrahere non poſſunt, & ſi contraxerint, etiam ſi ſint facti irregulares, debent ſeparari.*

Alexander III. *Rhemen. Archiepiſcopo.*

DE Diacono *c*, qui in Sabbatho ſancto alium Diaconum vulneravit, & uxorem accepit, hoc tuæ prudentiæ reſpond. quòd ſi contrito & humiliato corde ad eccleſiam redire voluerit, dimiſſa illa, quam accepit in uxorem, & abſolutione obtenta, injuncta *d* ſibi pœnitentia de utroque exceſſu, poſt eam peractam diſpenſativè poteris ei Diaconatus officiũ reddere, & ſi perfectæ vitæ & converſationis fuerit, eum in Preſbyterum ordinare. Subdiaconum autem, ſive hominem interfecerit, ſive non, matrimonium non poſſe contrahere, ſacrorum canonum cenſura demonſtrat.

## CAP II.

*Subdiaconus matrimonium contrahere poteſt.*

Idem *Cenoman. Epiſcopo.*

EX literarum *e* tuarum tenore accepimus, quòd lator præſentium in Subdiaconatus officio conſtitutus, quandam ſibi in conjugium copulavit, quam eundem abjurare feciſti. Super quo pru. tuam in Domino commendamus, mandantes, quatenus ſi ad monaſticum *a* ordinem tranſire voluerit, & tibi poſt laudabilem converſationẽ ipſius viſum fuerit, eum ad majores ordines promoveri concedas: quòd *b* ſi ad religionẽ ſe transferre noluerit, eum neque in Subdiaconatu miniſtrare, ne ad ulteriores permittas ordines promoveri, in minoribus tamen ordinibus poterit miniſtrare.

## CAP. III.

*Votum ſolenne impedit & dirimit matrimonium poſt contractum: votum ſimplex tantum impedit contrahendum, ſed non dirimit poſt contractum.*

Idem *Vigorien. c Epiſcopo.*

MEminimus *d:* [ 1 *& infrà.*] Reſpondem. quòd ſi quiſquam, qui ſe religioni devovit, & habitu ſuſcepto profeſſionem fecit, poſtmodum ſibi aliquam copulaverit, eſt cogendus ab ea recedere, & ad eccleſiam, cui ſe contulit, ſine contradictione tranſire. Verùm ſi nec habitum ſuſcepit, nec profeſſionem, ſed votum ſolummodo fecit, & ſe ad religionem tranſiturum promiſit: licet poſtea matrimonium contraxerit, non eſt cogendus ad religionem tranſire, & matrimoniale votum reſcindere.

[ 1 *Nos ex parte tua quæſtionem hujuſmodi audiſſe, ſ. utrum illi qui ſe ad religionem coram Epiſcopo devoverunt tranſituros, & habitum religionis ſuſcipiunt, ſi poſtmodum uxores duxerint, cogendi ſunt eas dimittere, & ad eccleſiam, cui ſe contulerant, redire.* ]

## CAP. IV.

*Suſceptio habitus profeſſorum extra religionem à non habente poteſtatem incorporandi religioni, impedit in dubio matrimonium contrahendum, ſed non dirimit contractum. h.d. ſecundùm intellectum, quem tenet Pannormitanus.*

Idem *Lucen. Epiſcopo.*

COnſuluit *e* nos tua fraternitas, quid faciendum ſit de Nobili muliere, quæ veſtibus præcioſis abjectis, mutavit habitum, & de manu Preſbyteri velamen aſſumpſit, ſed non renunciavit propriis, nec intravit clauſtrum, nec in manu alicujus Epiſcopi, Abbatis vel Abbatiſſæ, aut ſuper altare profeſſa eſt, vel obedientiam promiſit: poſtmodum verò elapſo anno (abjecto religionis habitu) cuidam nobili nupſit. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd ſicut ſimplex votum *f* matrimonium impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum: ita habitus ſine profeſſione ſuſceptus, ne contrahatur impedit, ſed contractum nequaquam diſſolvit.

## CAP. V.

*Votum caſtitatis de præſenti impedit matrimonium contrahendum: eccleſia tamen ex cauſa matrimonium contrahi quandoq; permittit. h.d. inhærendo literæ.*

Idem.

VEniens *g* ad præſentiam noſtram M. eremita propoſuit, quod I. mulier cuidam viro abſenti fide data ſe nupturam promiſit, ſed poſtmodum audiens plura de ſeveritate ipſius, ei noluit copulari. Cùm itaq; timeret ne illi nubere cogeretur, in manibus ſuis votum continentiæ promiſit, non tamen locum aut veſtem mutavit, quo audito vir aliam ſibi copulavit. Nos itaque attendentes tutius eſſe ut præfata mulier poſt fidem & votum ſimpliciter oblatum matrimonium contrahat, quàm fornicationis reatum incurrat: mandamus, quatenus ſi plus non proceſſit, ſibi de fide mentita & voto violato congruam ſatisfactionem indicas, & ei cui vult nubendi in Domino licentiam tribuere, non poſtponas.

---

a *Illuſtris eſt hæc decret. de cujus intellectu præter D. Scotum lib. 4. diſt. 29. q. 2. art. 2. & 3. Adrianum ſuper 4. q. 7. de matr. & Covarruviam citatum ſuper gloſſ. ca. præcedentis.* b *licet aliàs.* c *Ca. 1. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Later. p. 26. ca. 21.* d *al. ita: injuncta quoque ſibi.* e *Ca. 2. eod. tit. in 1. compil. & poſt Conc. part. 50. ca. 59.*

a *Vox monaſticum, deeſt in omnib. manuſcr.* b *al. qui ſi ad religionem ſe conferre.* c *VVigorienſ. al. VVigorn.* d *Ca. 6. eod. tit. in 1. compil. & poſt Concil. Lateran. p. 6. c. 9.* e *Ca. 7. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lateran. p. 45. c. 4.* f *Vid. omninò citatos paulo ante c. meminimus. eod. tit.* g *C. 8. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. part. 4. c. 10.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

### CAP. VI.

*Votum ſimplex impedit ſponſalia de futuro, non autem dirimit matrimonium ſequens: ſecus in voto ſolemni.*

Celeſtinus III.

RVrſus *a* quidam votum caſtitatis emittens, juravit ſe quandam ducturum poſtea in uxorem. Vnde à fraternitate tua requiſiti arbitramur, quòd cùm ſimplex votum apud Deum non minus obliget, quàm ſolenne: pro eo quòd juravit temerè, pœnitentiam agat, & votum, quòd Deo fecit, ſtudeat obſervare. Quòd ſi poſtquam hujuſmodi præſtitit juramentum, ad nuptias proprio motu convolaſſet: cùm votum ſimplex matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat jam contractum, nihil ambiguitatis quæſtio tua continere videtur.

### CAP. VII.

*Votum ſolenne impedit & dirimit matrimonium poſt contractum.*

Innocentius III. *Libonen. & Colimbrien. Epiſcopis.*

INſinuante *b* I. Nobili muliere noſtro eſt Apoſtolatui reſeratum, quòd à quibuſdam curialibus fuit Regi Legionien. pro ipſius copula ſupplicatum: quòd cùm ad conſanguineorum ejus notitiam perveniſſet, ut maritum acciperet, ei ſub obteſtatione regia ſuggeſſerunt: ipſa verò quòd tunc nollet nubere proteſtans, conſilium accepit ab eis, quòd votum emitteret caſtitatis, quòd in manibus cujuſdam de fratribus ſancti Aug. fecit, eo adjecto tenore, ut in domo propria cum omni ſubſtantia ſua remaneret. Sanè in ejuſdem ordinis habitu biennio pòſt permanſit, licet id ſe invitam feciſſe adſerat, & coactam non tam metu Regio quàm parentum: [ 1 & ſ. ] Tandem attēdens, quòd invita votum emiſerit, eo dimiſſo de parentum conſilio, P. Michaëli *c* publicè fuit matrimonialiter copulata: de quo *d* quatuor ſuſtulit filios tempore procedente: [ 2 & ſ. ] Nos igitur attendentes, quòd in emiſſione voti, quod præceſſit, nulla vel modica coactio adfuiſſet, quam patientia & perſeverantia ſequentis temporis penitus profugavit, & quod ſequens conjunctio potius iniqua fuit, & violenter extorta: mandamus, quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, præfatam mulierem ad malè dimiſſum religionis habitum readſumendum, & ſervandum quod vovit, monere & inducere procureris & (ſi opus fuerit) per cenſuram eccleſiaſticam coërcere.

[ 1 *Poſt hæc eidem Regi quod fecerat indicavit, quod approbans vetuit, ne quis ea nolente domum intraret ipſius, vel exinde aliquid exportaret. Interim verò tempore modico elabente P. Curalis regias literas ſecum portans, & F. Ferrandi dictæ mulieris domum intrantes, ut ipſe P. vi ſaltem eam duceret in uxorem, acceperunt ab ipſa quòd ſi eam idem P. duceret ipſius manibus interire. Poſtea verò dimiſſis domo & omnibus quæ habebat, in domo cujuſdam Iudæi per tres, in eccleſia verò S. M. de Neiga per ſex latuit ſeptimanas, ita quòd exinde propter neceſſitates humanas etiam egredi non auderet, tandem ſe coactam videns & omnibus deſtitutam, &c.*

[ 2 *Verùm quia ſalutem animæ deſiderat omnibus anteferre, ac metuens quod hujuſmodi conjunctio licita non exiſtat, quid ſuper his tenere debeat, edoceri reſponſo noſtro ſuppliciter poſtulavit.* ]

## DE EO, QVI DVXIT IN MATRIMONIUM, quam polluit per adulterium.

### TITVLVS VII.

### CAP. I.

*Si quis vivente uxore contrahit cum ſecunda hoc ignorante, prima mortua, ad ſui petitionem non ſeparabitur à ſecunda.*

Alexander III. *Abbati ſancti Albani.*

PRopoſitum *a* eſt nobis, quòd vir quidam uxorem habens, ſibi aliam hujuſmodi rei inſciam copulavit: ſed prima mortua nititur diſcedere à ſecunda: [ 1 & *infrà.* ] Licet autem in canonibus habeatur *b*, ut nullus copulet matrimonio, quàm prius polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore ſua vivente, vel quæ machinata eſt in mortem uxoris: quia tamen præfata mulier erat inſcia, quòd ille aliam haberet uxorem viventem, nec dignum eſt, ut prædictus vir, qui ſcienter contra canones venerat, lucrum de ſuo dolo reportet: conſultationi tuæ taliter reſpondem. quòd niſi mulier divortium petat, ad petitionem viri non ſunt aliquatenus ſeparandi.

[ 1 *Aſſerens quòd uxore vivente, eam non licuit ſibi copulare.* ]

### CAP. II.

*Si vivente prima uxore & non cognita, quis contraxit cum ſecunda ſcienter, & eam cognovit, etiam mortua prima, ſecundam habere non poteſt: ſecus ſi prima erat non legitima uxor.*

Idem *Abbati de fontibus.*

SIgnificavit *c* nobis O. Andegavenſis: [ 1 & *infrà.* ] Mandamus, quatenus ſi conſtiterit quòd eidem O. tanta vis illata fuerit, quòd non ſpontè in primam conſenſerit, nec poſt præſtitum juramentum ipſam carnaliter cognoverit, propter hoc non dimittes, quin ad aliam, quam poſtea in uxorem accepit, revertendi liberam tribus facultatem. Alioquin ſibi ne ad ſecundam revertatur ſub interminatione anathematis inhibens, des ei licentiam ducendi aliam uxorem.

[ 1 *Parochianus Eboracen. eccleſiæ per VV. de Raman. qui eſt ex hac luce ſubtractus, capiens eum, tamdiu in vinculis ferreis & carcere tenuit, donec ipſum jurare coëgit, quòd A. mulierem duceret in uxorem. Cùm autem vincula & carcerem evaſiſſet, aliam uxorem accepit, de qua filios procreavit. Poſtea verò idem O. à præfata A. coram ven. fratre n. Eboracen. Archiepiſcopo Apoſtol. ſed. leg. tractus eſt in cauſam, coactus eſt juramento ſervare, quòd ad illam quam ſponte in uxorem acceperat, non accederet, donec lis eſſet judicio eccleſiaſtico terminata. Cæterùm quia priuſquam de cauſa cognoſcitur legitimè, prænominata A. diem clauſit extremum, prædictus O. ad eandem, de qua filios habuit, reverti non audet, inde eſt quòd d. v. p. A. ſ.* ]

### CAP. III.

*Non poteſt quis cum illa contrahere, quam uxore vivente cognovit, ſi machinata fuit in mortem uxoris.*

Idem *Baranen. Epiſcopo* d.

SVper hoc *e* quod quæſiviſti, an liceat alicui cum ea contrahere matrimonium, quam uxore ſua vivente ſibi de facto matrimonio copulavit: Taliter reſpondemus, quòd ſi adultera eſt in mortem uxoris aliquid machinata, ſive fidem dedit, ſive non, quòd ea defuncta hanc eſſet ducturus, ſecundùm canones ab ejus conſortio prohibetur, & hæc prohibitio perpetuò eſt ſervanda.

### CAP. IV.

*Qui vivente uxore, etiam ab eo ſeparata quoad torum, ſecundam conſciam duxit uxorem, prima mortua ſeparabitur à ſecunda, ſed cum alia contrahere poterit.*

Clemens III.

EX literarum *f* tuarum inſinuatione accepimus,

a *Cap. 2. eod. tit in 2. compil.* b *Cap. 1. eod. tit. in 3. compilat. vid. Scotum 4. ſent. diſt. 38. quæſt. 2. art. 2. & citatos in præcedent. capitulis.* c *aliàs Michaëlis P. filio Michaëlis.* d *In antiqua comp. de qua, &c.*

a *Cap. 1. eod. tit. in 1. compilat. & poſt Concil. Lateran. part. 6. ca. 1. vid. Magiſtr. 4. ſent. diſtinct. 35. §. ſolet etiam quæri.* b *al. habeatur expreſſum.* c *Ca. 1. eod. tit. in 1. compil. & poſt Concil. Lateranen. part. 6 ca. 13.* d *Bavaren. al. Banaten. ſed Beluacen. Bajonen. Batonien. & Baren. cætera rejicienda ſunt.* e *Ca. 1. eod. tit. in 1. compilat. & poſt Concil. Lateran. p. 6, c. 16.* f *Cap. 1. eod. tit. in 2. comp.*

quòd

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

quòd T. uxorem ſuam in adulterio deprehenſam, de tui anteceſſoris adſenſu abjecit: quæ poſtmodum *a* accepit habitum monachalem: ſed dictus T. antequam illa decederet, aliam *b* ſuperinduxit: & plures ſuſcepit filios ex eadem: [ 1 *& ſ.*] Frat. t. igitur reſp. quòd illos debes ab invicem ſeparare. Idem verò vir, indicta ei de adulterio pœnitentia, aliam ducere poterit in uxorem.

[ 1 *Cæterum quia ſupradicta mulier deceſſit, quid ſuper ſecunda copula fieri debeat, ſedem duxiſti Ap. conſulendam.*]

CAP. V.

*Qui vivente uxore legitima cum ſecunda contrahit adultera, etiam prima mortua ſeparabitur à ſecunda, etiam ſi longo tempore ei cohabitavit, & filios ex ea ſuſcepit.*

Idem *c.*

CVm *d* haberet uxorem legitimam A. nomine I. lator præſentium, cùm M. adulterium perpetravit. Cumque ſuper hoc fuiſſet in jus vocatus, abjuravit adulteram, & poſtmodum juramento contempto vivente legitima, cum ea matrimonium contrahere, & ipſi diu cohabitare præſumpſit: demum prædicta A. de præſenti luce ſubtracta, memoratus I. cum adultera per decennium eſt commoratus, de qua decem filios procreavit. Tale ergo damus conſul. t. reſponſum, ut ſeparentur *e* omninò: & eis injuncta pœnitentia, perpetua continentia indicatur: præſertim cùm in dies ſuos ambo proceſſerint, & tamdiu publicè in adulterio, & perjurio ex certa ſcientia perdurantes, eccleſiam in gravi ſcandalo perturbaverint. Noſti enim quòd Leo Papa ſtatuit, ut nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit, & quòd hic plus proceſſum fuit, quàm ſi fides præſtita duntaxat fuiſſet adulteræ, ut defuncta legitima eam duceret in uxorem; cùm eadem etiam prima *f* vivente quaſi matrimonialiter mœchæ mœchus adhærere præſumpſit, & ſacramentum ſuum temerè violare: quod utiq; connubium (ubi etiam nulla interceſſit *g* religio juramenti) tam *h* Gregor. Papa, quàm Triburien. ſynodus *i* deteſtatur, & utrunq; hoc modo conjunctum præcepit publicæ pœnitentiæ *k* ſubjici, ac perpetuò ſine ulla ſpe conjugii permanere. Nec aliquod eiſdem I. & M. adminiculum adferunt, ut ſimul maneant, quòd decennio cohabitaverunt *l* ad invicem, ac decem filios ſuſceperunt *m*, cùm multiplicitas prolis ita ſuſceptæ magis eorum crimen exaggeret: & diuturnitas temporis peccatum non minuat, ſed augmentet. Solicitudinis tamen tuæ intererit, ut uterque liberis ſuis ſecundùm quod eis ſuppetunt facultates, neceſſaria ſubminiſtret.

CAP. VI.

*Si quis mortua uxore contrahit cum ea, quam vivente uxore ſine fidei donatione cognoverat, tenet matrimonium, dummodo in mortem defunctæ neuter fuerit machinatus.*

Innocentius III. *Epiſcopo Spoletano.*

SIgnificaſti *n* nobis, quòd cùm P. civis Spoletanus, quandam M. mulierem duxiſſet legitimè in uxorem, ea relicta, cuidam meretrici adhæſit: [ 1 *& ſ.*] Verùm cùm uxor ipſius eſſet viam univerſæ carnis ingreſſa, meretricem, cui adhæſerat, deſponſavit. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quòd niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente ſibi fidem *o* dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium ſupradictum, excommunicato munus abſolutionis (ſi petierit) juxta formam eccleſiæ impenſurus.

[ 1 *Et cùm ab ejus contubernio ad torum non poſſet legitimum revocari, vos in eum excommunicationis ſententiam protuliſtis.*]

CAP. VII.

*Si quis vivente prima ſecundam hujus rei inſciam duxerit uxorem: mortua prima, licitè remanet cum ſecunda, novo conſenſu interveniente.*

Idem *Meſſanen. capitulo.*

VEniens *a* ad præſentiam noſtram G. laicus humili inſinuatione monſtravit, quòd cùm in civitate Lemovicen. quandam ſibi matrimonialiter copulaſſet, ab ea recedẽs Meſſanã advenit, ubi M. mulierem inſciam quòd aliam haberet uxorem, ſibi ſolenniter copulavit: verùm cùm eidem pœnitentia fuiſſet injuncta, ut ad legitimam rediret uxorem, & ipſe propter hoc in ſuam patriam rediiſſet, uxorem ſuam inveniens carnis debita perſolviſſe, ad Meſſanam rediit civitatem, & ſupradictæ M. tanquam legitimæ cohabitavit uxori: [ 1 *& infrà.*] Licet autem vivente uxore legitima prædictam M. ſibi copulare nequiverit in uxorem, quia tamen uxore defuncta, utpote à lege ipſius ſolutus, in eadem M. de novo potuit matrimonialiter conſentire, dummodo non præſtiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris: mandamus, quatenus ſi eſt ita, eidem G. ut ſupradictæ M. adfectu adhæreat conjugali, licentiam concedatis.

[ 1 *Nunc autem impoſitam ſibi pro priori exceſſu pœnitentiam agens humiliter & devotè, cohabitandi eidem M. à nobis licentiam poſtulavit.*]

CAP. VIII.

*Contrahens cum ſecunda vivente prima, quam tamen non cognovit, nec ante contractum nec poſt, mortua prima poteſt contrahere cum ſecunda.*

Gregorius IX. *fratri R.*

SI quis uxore vivente fide data promiſit aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi nec ante nec poſt (legitima ejus ſuperſtite) cognovit eandem: quamvis utrique ipſorum pro eo, quòd in hoc graviter deliquerint, ſit pœnitentia injungenda: non eſt tamen matrimonium, quod cum ea contraxit, poſt uxoris obitum dirimendum. Cæterùm tolerari non debet ſi priùs, vel poſtea dum *b* vixerit uxor ipſius, illam adulterio polluiſſet.

## DE CONIVGIO *c* LEPROſorum.

### TITVLVS VIII.

CAP. I.

*Lepra ſuperveniens non diſſolvit matrimonium, nec matrimonii effectum: ideò ad invicem maritali adfectione conjuncti ſe tractare debent, aut ad perpetuam continentiam vovendam induci.*

Alexander III. *Cantuarien. Archiepiſcopo.*

PErvenit *d* ad nos, quòd cùm hi, qui lepræ morbum incurrunt, de conſuetudine generali, à communione hominum ſeparentur, nec uxores viros, nec viri uxores taliter ægrotantes ſequuntur. Quoniam igitur cùm vir & uxor una caro ſint, non debet alter ſine altero eſſe diutius: mandamus, quatenus, ut uxores viros, & viri uxores, qui lepræ morbum incurrunt, ſequantur, & eis conjugali adfectione miniſtrent, ſolicitis exhortationibus inducere non poſtponas. Si verò ad hoc induci non potuerunt, eis arctius injungas, ut uterq; altero vivente continentiam ſervet. Quòd ſi mandatum tuum ſervare contempſerint, vinculo excommunicationis adſtringas.

a *Suſcepit.* b *ſuperduxit.* c *In veteri comp. hoc caput Celeſtin. III. præcedens verò Clemen. III. tribuitur.* d *C.2. eo. tit. in 2. comp.* e *Vid. Bart. in l. Claudius. D. de his quibus ut indignis.* f *Vox prima, deeſt in antiq. nec debet eſſe, ut conſtat ex gl. verb. ead.* g *Interceſſiſſet.* h *Vid. Hoſt. hic inducentem varias Greg. auctor.* i *C.40. & 51.* k *publicè.* l *cohabitaverint.* m *ſuſceperint.* n *C.2. eod. tit. in 3. comp.* o *dederint.*

a *Cap.2. eod. tit. in 3. compil.* b *vixit.* c *Vid. B. Thom. 4. ſent. diſt. 32. q.1. art.1.* d *Ca.1. eod. tit. in 1. compil. & poſt Conc. Later. p.37. c.2.*

CAP. II.

*Conjuges propter lepram ſeparandi non ſunt à conjugio, & contrahere poſſunt matrimonium: & invicem ſibi reddere debitum tenentur.*

Idem *Bajonen.* a *Epiſcopo.*

QVoniam nemini licet (excepta cauſa fornicationis) *b* uxorem dimittere: conſtat quòd ſive mulier lepra percuſſa fuerit, ſeu alia *c* gravi infirmitate detenta, non eſt à viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda. Leproſi autem ſi continere nolunt, & aliquam quæ ſibi nubere velit, invenerint, liberum eſt eis ad matrimonium convolare. Quòd ſi virum ſive uxorem leproſum fieri contigerit, & infirmus à ſono carnale debitum exigat, generali præcepto Apoſtoli, quod exigitur, eſt ſolvendum: cui præcepto nulla in hoc caſu exceptio invenitur.

CAP. III.

*Sponſalia de futuro præcisè non compellunt ad contrahendum matrimonium cum leproſo, lepra poſt ſponſalia ſuperveniente.*

Vrbanus III. *Epiſcopo Florentino.*

LIteras *d*: [ 1 & ſ.] Quia poſtulaſti, utrum ſi poſt ſponſalia de futuro inter legitimas perſonas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, alius ad conſummandam copulam maritalem compelli debeat: reſpondemus, quòd ad eam accipiendam cogi non debet, cùm nondum inter eos matrimonium fuerit conſummatum.

[ 1 *Tua frater. debita benignitate ſuſcepimus, quibus certiores de ſinceritate fidei tuæ, & devotionis affectu, ad honorem & commodum tuum abundantius provocamur. Verum.*]

## DE CONIVGIO SERVORUM *e*.

*TITVLVS IX.*

CAP. I.

*Servus contradicente Domino matrimonium contrahere poteſt, ſed propter hoc non liberatur à ſervitiis Domino debitis.*

Hadrianus *Sanctebuzgen.* e *Archiepiſc.*

DIgnum eſt *f*: [ 1 *& infrà.* ] Sanè juxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Ieſu, neque liber, neq; ſervus eſt à ſacramentis eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi, & ſi contradicentibus Dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda. Debita tamen & conſueta ſervitia non minus debent propriis Dominis exhiberi.

[ 1 *Et à rationis tramite non diſcordat, quòd ea quæ dubietatis in ſe videntur ſcrupulum continere, ad Apoſt. ſed. judicium referantur, ut inde Chriſti fideles in dubiis certitudinem ſe gaudeant invenire, unde noſcuntur magiſterium fidei ſuſcepiſſe. Tua verò f. de ſervorum conjugiis quæ invitis & contradicentibus dominis contrahuntur, quid fieri debeat Apoſtolatui noſtro, ſicut bene meminimus requiſivit, ſuper quo tibi duximus reſpondendum.*]

CAP. II.

*Separatur matrimonium, quando liber ignoranter cum ancilla contraxerit, niſi poſtea hoc ſciens illam cognovit.*

Alexander III. *Præpoſito & Priori Mortarien.*

PRopoſuit *g* nobis M. mulier, quòd cùm vir ejus cum ea diutius permanſiſſet, notam ei ſervilis *h* conditionis objecit, aſſerens eam eſſe ancillam, quam liberam eſſe credebat, cùm eam duxit in uxorem: [ 1 & ſ.] Mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quòd idem vir præfatam mulierem poſtquam iſtam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum monitione præmiſſa *a* compellas, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet. Si verò aliter fuerit, & ſententiam divortii proferri contingat *b*, mulieri pecuniam, quam præfato viro pro dote conceſſit, reſtitui faciatis.

[ 1 *Cum autem in præſentia ven. f. n. Aſtienſis Epiſcopi tractaretur negotium, mulier quia ibi gravari timebat, ad noſtram audientiam appellavit. Quia igitur tam ea quàm viro ſuo vivente poſt aliquantulam moram præfatus vir inconcuſſa lite receſſit. d. v. per a. ſ.*]

CAP. III.

*Si conſuetudo eſt in loco, quòd partus conditionem patris ſequatur, natus ex libero & ancilla liber eſt, & ut liber matrimonium contrahit.*

Vrbanus III. *Ariminen. Epiſcopo.*

LIcet *c*: [ 1 *& infrà.* ] Sanè ſuper eo, quod fuit propoſitum, an mulier poſſit divortium poſtulare, pro eo, quòd vir, cum quo ſuæ conditionis ignara contraxit, ſervus monaſterii proponatur, cùm econtra idem vir patrem ſuum, cujus conditionem ſecundùm leges *d* provinciæ, ſequeretur, tempore mortis pro libero ſe geſſiſſe, & jam elapſo decennio, nec patris, nec ſuo nomine ſe ſtatus controverſiam paſſum conſtanter affirmet. Videtur nobis ratione temporis, & favore libertatis, pro parte viri ſecurius judicandum.

[ 1 *Ad ea ſuper quibus nos frat. tua conſulere voluit, ſi ſuſficere arbitremur: quia tamen ad majorem certitudinem judicium noſtrum paſtorali ſolicitudine requiris, nos ad inquiſitiones veſtri officii noſtri ſine debito reſpondemus.*]

CAP. IV.

*Si liber contraxit cum ancilla ignoranter, & ex quo ſcivit, non conſenſit, ſeparatur matrimonium, & cum alia contrahere poterit.*

Innocentius III. *H. Epiſcopo e.*

AD noſtram noveris *f* audientiam perveniſſe, quòd G. Presbyter Cardin. Apoſt. ſed. leg. R. militem à muliere quadam propter conditionis ſeparavit errorem. Ideoq; mandamus, quatenus ſi conſtiterit quòd miles ignoranter contraxit *g* cum ancilla, ita quòd poſtquam intellexit conditionem ipſius, nec facto, nec verbo cõſenſerit in eandem, propter quod per Card. eundem ab ejus fuerit conſortio ſeparatus, contrahendi cum alia libera ipſi concedas auctoritate Apoſtolica facultatem.

## DE NATIS EX LIBERO ventre.

*TITVLVS X.*

CAP. I.

*Natus ex libera vel liberta, liber eſt.*

Gregorius *h.*

INdecens eſſe credimus, ut progeniti ex liberta, ſive libera filii ad ſervitium retrahantur. Propterea tibi præcipimus, ut ſi documenta nulla ſint ab eccleſiæ parte, quæ documentis hujuſmodi debeant obviare, ab ejus moleſtia ſine aliqua retractatione compeſcas eandem: durum eſt enim, ut ſi alii pro mercede libertates tribuunt, ab eccleſia, à qua tueri debent, revocentur.

a *Baronen.* b *Ca. 2. eod. tit. in 1. compil. & poſt Concil. Lateranen. p. 37. c. 3.* c *aliqua.* d *Ca. 3. eod. tit. in 1. compil. & poſt Concil. Later. p. 50. ca. 63.* e *Salzeburgen. al. Salsburgen. al. Salesburgen.* f *Vid. Magiſt. & ibi Doctores 4. ſent. diſtinct. 36.* g *Ca. 2. eod. tit. in 1. comp.* h *Vox ſervus, deeſt in omnibus antiquis codicibus.*

a *Cogatis.* b *contigerit.* c *Ca. 3. eod. tit. in 1. comp. vid. S. Thom. 4. ſent 36. q. 1. art. 4. & omninò textum, & ibi gloſſ. Arct. & Doct. in §. 1. Inſtit. de ingenuis.* d *legem.* e *In antiq. libris, ut plurimum ita: N. Epiſcopo.* f *Ca. 1. eod. tit. in 3. comp. vid. S. 4. ſent. diſt. 35. q. 1. art. 2.* g *contraxerit.* h *In aliquot vet. cod. additur nomen: ſed mendoſè cùm ſit Greg. 1. lib. 1. ep. 53. regiſtr. ... p. 16. c. 73. & c. 1. eod. tit. in 1. comp.*

DE

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## DE COGNATIONE a SPIrituali.

### *TITVLVS XI.*

### CAP. I.

*Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licitè contrahunt, niſi conſuetudo repugnet: ſeparantur autem ſi per eorum alterum vel utrunque compaternitas eſt contracta. h.d. cum ea. ſuper eo.infr. eod.*

Alexander III. *Saler. Archiepiſc.*

VTrum autem b filii aut filiæ ante vel poſt compaternitatem geniti poſſint ad invicem copulari, canones ſecundùm diverſorum locorum conſuetudines contrarii inveniuntur. Et licet primus canon exinde editus, natos poſt compaternitatem ad invicem copulari prohibeat: alter tamen canon poſteriùs editus, primùm videtur corrigere: per quem ſtatuitur, ut ſive ante, ſive poſt compaternitatem geniti ſunt, ſimul poſſint conjungi, excepta illa perſona duntaxat, per quam compaternitatem venitur. Vnde nobis videtur, ut ſecundùm poſteriorem canonem debeat obſervari: Niſi conſuetudo eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur.

### CAP. II.

*Compaternitas ſcienter vel ignoranter ſuperveniens inter conjuges, conjugium non diſſolvit.*

Idem *eidem.*

SI vir vel mulier ſcienter c, vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an propter hoc ſeparari debeant? Conſult. t. t. reſpondem. quòd quamvis generaliter ſit inſtitutum ut debeant ſeparari, quidam tamen humaniùs ſentientes, aliter ſtatuerunt. Ideò nobis videtur, quòd ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci: quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari vel dolus.

### CAP. III.

*Filii duorum compatrum, per quorum neutrum deventum eſt ad compaternitatem, licitè invicem contrahunt matrimonium: ſi tamen ſubeſt conſuetudo impediens & dirimens talia matrimonia, ſervanda eſt loci conſuetudo. h.d. ſecundùm intellectum magis communem, attingendo mentem capituli.*

Idem *Vigilien. Epiſcopo.*

SVper eo d quòd à nobis tua fraternitas requiſivit de duorum compatrum filiis: Reſpondemus, quòd ſi tales filii fuerint, per quorum alterum, vel utrunque parentes ad compaternitatem venerunt, eos conjungi nulla ratione ſuſtineas, & conjunctos Pontificali auctoritate non differas ſeparare. Cæterùm ſi per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit, de his te volumus conſuetudinem tuæ metropolitanæ eccleſiæ vel aliarum circumpoſitarum inquirere, & diligentius imitari, ita quòd ſi ejuſdem eccleſiæ conſuetudo habeat inter eos non ſuſtinere conjugium fieri, nec factum firmitatis robur habere: tu ſimili modo in eccleſia tibi commiſſa conjugium hujuſmodi fieri non permittas: & ſi quos taliter conjunctos inveneris, juxta earundem eccleſiarum conſuetudinem ipſos ſeparare e ab invicem non f omittas. Verùm ſi de conſuetudine habeatur, ut talia conjugia permittantur, in eccleſia tua diſſimulare poteris, ita quòd nec contradicere, nec tuum videaris præſtare adſenſum: quia ſicut grave eſt antiquam conſuetudinem circumadjacentium eccleſiarum ſuper his contemnere, ſic quoque gravius videtur, ſi propter eam hujuſmodi conjugiis tuum indulges adſenſum, cùm poſſet ſic in exemplum adſumi.

### CAP. IV.

*Inter patrem baptizati & uxorem levantis prius ab eo cognitam, contrahitur compaternitas efficax ad matrimonium dirimendum.*

Clemens III.

MArtinus a Bertham duxit uxorem, Tebergam ſibi copulavit Lotharius, qui Berthæ & Martini filium de ſacro fonte ſuſcepit. L. verò & B. ſublatis de medio, M. cum T. præfata contraxit. Nos autem conſult. t. t. duximus reſpondendum, quòd cùm ſecundùm verbum Domini vir & mulier efficiantur per connubium una caro; liquidum eſt Tebergam non poſſe matrimonialiter copulari Martino, qui compater ejus fuerat, cum quo una caro Teberga noſcitur extitiſſe.

### CAP. V.

*Compaternitas per catechiſmum contracta impedit matrimonium contrahendum, ſed contractum non dirimit.*

Idem.

COntracto b matrimonio inter P. & A. uxorem ſuam, quidam conſanguinei ejuſdem A. contra matrimonium objecerunt, quòd eadem in primo ſacrati ſalis pabulo filium quondam c concubinæ ipſius P. tenuit: [ 1 *& infrà.* ] Verùm, ſi conſtaret vera eſſe, quæ diximus, non ideò tamen contractum matrimonium ſolveretur: quæ res vix contrahendo matrimonio impedimentum adferret. Ideoque mandamus, quatenus præfato P. auctoritate noſtra injungas, ut memoratam A. ſicut uxorem maritali affectione pertractet, & carnale debitum ab ea licenter exigat & perſolvat, ſive ipſam ante matrimonium contractum cùm P. ſive poſtea conſtiterit hoc egiſſe: dum tamen, ſi in fraudem hoc fecerit cauſa matrimonii ſeparandi, pœnitentiam pro præſumptione accipiat, matrimonio in ſua firmitate durante.

[ 1 *Cum fuit primùm in eccleſia Dei inductus, & propter hoc tuam præſentiam adeuntes, dicebant ipſam debere à viro per tuum judicium ſeparari. Tua verò f. ſicut accepimus, cauſa non cognita iis carnale commercium interdixit, prohibens etiam ipſi P. ne debitum ab uxore requireret.*]

### CAP. VI.

*Inter patrem baptizati & levantem ſeu tenentem baptizatum, contrahitur cognatio ſpiritualis valida ad impediendum, & dirimendum matrimonium poſt contractum.*

Innocentius III. *Epiſcopo & Archidiacono Lincomen.*

VEniens d ad Apoſtolicam ſedem C. e Anglicus: [ 1 *& ſ.*] Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit H. mulierem prædicti viri filium de ſacro fonte levaſſe antequam eam deſponſaſſet uxorem, vos inter eos divortium app. poſtpoſita celebretis.

[ 1 *Nationе, nobis expoſuit, quòd cùm olim in adoleſcentia conſtitutus mulieri cuidam adhæſiſſet, quam tamen quidam alius antè cognoverat, de conſilio matris ſuæ factum eſt, ut eadem mulier quendam puerum, quem de alia ſoluta ipſe ſuſceperat, de ſacro fonte levaret, ad ſuſpicionem & infamiam utriuſque delendam. Deinde verò cùm in ejus amore vehementius exarderet, abſque conſilio amicorum eam clanculo deſponſavit. Cumque prolem ex ea procreare non poſſet, & increpationes à patre ſuo graviſſimas ſuſtineret, quòd eam deſponſando deliquerat revolvens in animo, ipſa dimiſſa, cauſa orationis Hieroſolymam eſt profectus. Verum cum idem rediens de partib. tranſmarinis, prolem eam ſuſcepiſſe ab alio inveniſſet, ei noluit adhærere: ſed propter adulterium quod commiſiſſe taliter videbatur, ea omninò dimiſſa, ad longinquam*

a *De mat. hujus tit. prat. Doct. vid. Theol. & præ aliis B. Tho. & Sot. 4. ſent. diſt. 42.* b *Ca. 1. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. p. 32. c. 1.* c *C. 2. eod. tit. in 1. comp.* d *Ca. 3. eo. tit. in 1. comp. Vid. Trid. Conc. initio tit. citatum.* e *ſeparari.* f *dimittas.*

a *Cap. 1. eo. tit. in 2. comp.* b *Ca. 2. eod. tit. in 2. compil. Vid. citatos in c. proximo præcedenti.* c *al. quendam.* d *Ca. 1. eod. tit. in 3. compil. concordat. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. matr. ca. 2. adde citatos in ſuperiorib.* e *E.*

*ſe tranſtulit regionem: & ab Ebugien. tandem veniens civitatem, quandam ibidem cum terra & dote decenti ſibi matrimonialiter copulavit, de qua prolem ſe confeſſus eſt ſuſcepiſſe. Ea propter f. v. per Apoſt. ſed.]*

### CAP. VII.

*Si filiis duorum compatrum, per quorum alterum deventum eſt ad compaternitatem, matrimonium contrahant, ſeparantur: & tempore contractus ſcientes impedimentum, illud denunciare tenentur.*

Idem *Magiſtro S. Cano. Herforden.*

TVa a nos duxit diſcretio conſulendos, an natus ante compaternitatem, filiam compatris patris ſui vel commatris ſibi poſſit matrimonialiter copulare? & ſi b contraxit, an debeant ſeparari? & an conſcii talis matrimonii teneantur illud in publico accuſare? Super quo reſpondemus, quòd hujuſmodi perſonæ non poſſunt matrimonium contrahere: & ſi contraxerint, poſſunt ab invicem ſeparari: & qui contractum ſciverint, debent eccleſiæ illud nunciare.

### CAP. VIII.

*Inter baptizatum & filium baptizantis, oritur cognatio ſpiritualis, impediens & dirimens matrimonium inter eos contrahendum. h. d.*

Gregorius IX.

EX literis c veſtris accepimus, quòd cùm Martha mulier coram officiali Cantuarien. Alanum peteret in virum, & ſe adfidatam ab eo ac carnaliter cognitam per teſtes idoneos probaviſſet: dictorum tandem teſtium depoſitionibus publicatis, idem A. excipiendo propoſuit, quòd eam habere non poterat in uxorem, pro eo quòd ipſum pater mulieris ejuſdem, qui ſacerdos extitit d, baptizavit. Sed cùm idem officialis exceptione hujuſmodi non admiſſa definitivam tulerit ſentētiam contra ipſum, & idem ad ſedem Apoſtolicam appellaverit: Mandamus, quatenus ſi eſt ita, eundem A. ſuper hoc ab impetitione mulieris abſolvatis ipſius, eidem mulieri perpetuum ſilentium imponentes.

## DE COGNATIONE e legali.

### TITVLVS XII.

### CAP. I.

*Inter adoptatum & filium adoptantis non poteſt durante adoptione conſiſtere matrimonium.*

Nicolaus *ad conſulta Bulgarorum.*

SIqua f per adoptionem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu durat adoptio inter me & ipſam, nuptiæ conſiſtere non poſſunt.

## DE EO g, QVI COGNOVIT CONſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ.

### TITVLVS XIII.

### CAP. I.

*Affinitas ſuperveniens poſt matrimonium contractum non ſolvit matrimonium, ſed exactionem debiti impedit, & crimen inceſtus inhabilitat quoad matrimonium contrahendum.*

*Ex* Concilio apud h Metiam.

SIquis i cum filiaſtra ſua ſcienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere poteſt uxorem: nec filiaſtra, nec illa ullo unquam tempore alii, ſe poterunt matrimonio copulare.

### CAP. II.

*Affinitas ſuperveniens etiam per illicitum coitum, diſſolvit ſponſalia de futuro, ſed non matrimonium: & inceſtuoſus contrahere non poteſt.*

Alexander III. *Pictavien. Epiſcopo.*

VEniens a ad nos præſentium lator: [ 1 & ſ.] Inquiſit. t. t. reſp. quòd ſi matrem ſponſæ ſuæ cognovit, & b ſponſæ nunquam carnaliter adhæſit, imponenda eſt ei pœnitentia paulò major, quàm pro adulterio: qua peracta, vel parte ipſius, poterit ex diſpenſatione, cum alia matrimonium contrahere. Cæterùm ſi ſponſam cognovit, antequam matrem vel pòſt, nunquam eam, vel aliam poteſt accipere in uxorem.

[ 1 *Nobis tuæ f. literas præſentavit, ex quarum tenore perpendimus, quòd quandam in uxorem duxerat, quam quidam ſuaſerunt per menſem quo eam duxerat non cognoſcere. Contingit autem ſicut dicit, quòd pater ſponſæ duxit uxorem ſuam quæ ſponſæ mater erat, quam in ejus lecto jacentem diabolo ſuadente cognovit. Tranſacto verò menſe tam pater quàm alii propinqui coëgerunt, ut cum ea matrimonium conſummaret, quod facere noluit donec tecum ſuper hoc loqueretur.*]

### CAP. III.

*Non ſeparatur matrimonium ad dictum unius, adſerentis affinitatem inter conjuges præceſſiſſe.*

Idem.

DE illo c, qui uxorem fratris, antequam ei matrimonio jungeretur ſe propoſuit cognoviſſe: Reſpondemus, quòd niſi hoc publicum & notorium fuerit, aut idoneis teſtibus comprobatum, prædictum matrimonium occaſione illa ipſum impetere non permittas.

### CAP. IV.

*Inceſtuoſus matrimonium contrahere non debet: ſed ſi contrahat, tenet: & tunc tenetur reddere, ſed non poteſt debitum exigere: & non minus tenetur uxori neceſſaria adminiſtrare.*

Celeſtinus III.

TRanſmiſſæ d nobis tuæ literæ demonſtrarunt, quòd C. uxore ſua defuncta, filiam ejus privignam, videlicet propriam, copula carnali cognovit: poſtmodum aliam accipiens in uxorem, cum privigna publicè tanquam canis ad vomitum rediens, illicitam rem committere non expavit. Quia verò ſuper his conſilium requiſiſti, præſenti pagina reſpondemus, quòd legitimæ uxori cohabitans, & neceſſaria ſubminiſtrans, non cognoſcat eam, quamdiu vixerit, niſi ab ea fuerit requiſitus, & tunc ad ipſam non ſine gravi cordis dolore accedat: qui etiam pro inceſtu & adulterio, donec cum ea permanſerit, juxta moderamen tui arbitri pœnitentiam agens, poſtmodum ſi ſupervixerit, perpetuò ſine ſpe conjugii permanebit.

### CAP. V.

*Non ſeparatur matrimonium ad confeſſionem conjugum, qui dicunt affinitatem præceſſiſſe, etiam ſi rumor viciniæ conſentiat. Et eſt caſus multùm allegabilis & notabilis.*

Idem.

SVper e eo, quod poſtulas, utrum conjugatus, qui ante contractum matrimonium uxoris ſuæ conſanguineam carnali commixtione cognovit, cùm id fateatur uterque, & aliqua pars viciniæ hoc adclamare dicatur, ſit ab uxore ſua judicio eccleſiæ ſeparandus. Tuæ frater. reſpondemus f: quòd propter eorum confeſſionem tantùm, vel rumorem viciniæ, ſeparari non debet: cùm & quandoque nonnulli inter ſe contra matrimonium velint colludere, & ad confeſſionem

a *Cap. 2. eod. tit. in 3. comp. Vid. Sot. 4. ſent. diſt. 42. q. 1. art. 3.* b *contraxerint.* c *Ca. 1. De cogn. ſpirit. l. 6. B. Thom. 4. ſent. diſt. 42. q. 1. art. 2. & Durandum ead. diſt. q. 1.* d *extiterat.* e *vid. Magiſtr. 4. ſent. diſt. 42. & ibi 13. Thom. q. 2. art. 1, 2. & 3. & Durandum q. 3.* f *C. 1. eo. tit. in 1. comp.* g *Vid. Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 4.* h *Med. al. Mentian.* i *C. 1. eod. tit. in 1. compil. Vid. Burch. l. 19. decr. c. 5. tit. de fornicatione, &c.*

a *Cap. 3. eod. tit. in 1. compil. & poſt conc. Later. p. 12. cap. 4.* b *al. ſi ſponſa.* c *Ca. 2. eod. tit. in 2. comp.* d *Ca. 3. eod. tit. in 2. comp. Præ aliis vid. Sot. 4. ſent. diſt. 37. q. 1. art. 3.* e *Ca. 4. eod. tit. in 1. compil.* f *reſcribimus.*

inceſtus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

inceſtus facilè proſilirent, ſi ſuo judicio crederent per judicium eccleſiæ concurrendum. Rumor autem viciniæ non adeò eſt judicandus validus, quòd niſi rationabiles *a* & fide dignæ probationes accedant, poſſit bene contractum matrimonium irritari. *b*

CAP. VI.

*Affinitas ſuperveniens non diſſolvit ſponſalia de præſenti.*

Innocentius III. *præpoſito Magdeburgenſi.*

DIſcretionem *c* tuam: [ 1 & ſ.] Sanè ex parte tua fuit propoſitum, quòd quidam cum muliere quadam legitimè per verba de præſenti contraxit, quam poſtmodum à ſe incognitam, cuidam conſanguineo ſuo tradidit in quantum potuit renitentem. Ille verò cum ipſa, licet invita, matrimonii ſolennia celebravit: ſed mulier quam citò fuit reddita libertati, aufugit ab eo, & ſe priori viro reſtitui poſtulavit. Nos igitur inquiſit. r. t. reſpon. quòd & viro pro tam turpi facinore gravis eſt pœnitentia injungenda, & mulier propter publicam *d* honeſtatem eſt monenda ſollicitè, ut nec primum repetat, cujus conſanguineus eam licet invitam cognovit: nec redeat ad ſecundum, cui non poteſt propter *e* reatum adulterii commiſceri: ſed in continentia maneat, donec prior fuerit viam univerſæ carnis ingreſſus. Quòd ſi forſitan ad id induci nequiverit, vir prior cogatur redire ad ipſam, & maritali eam affectione tractare: cùm adulterium ei non poſſit objicere, qui eam adulterandam tradidit, præſertim invitam. Nam & ſi ſecundùm * Evangelicam veritatem nunquam niſi propter fornicationis *f* cauſam, aut vir uxorem aut uxor poſſit dimittere virum: non tamen ſemper propter cauſam eandem, vel uxor virum, vel vir dimittere poteſt uxorem, cùm poſſit exceptione, vel replicatione legitima impediri. Sed nec affinitas, quæ poſt contractum legitimè *g* matrimonium inter virum & uxorem iniquè contrahitur, ei debet officere, quæ hujuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit *h*, cùm ſuo jure non debeat ſine ſua culpa privari: quanquam à quodam prædeceſſore noſtro dicatur in ſimili caſu fuiſſe diſtinctum, utrum inceſtus vel adulterium manifeſtum fuerit, an occultum: aliis aſſerentibus inter gradum proximum & remotum eſſe potius diſtinguendum.

[ 1 *In Domino commendamus, quòd in his quæ dubia reputas vel obſcura, ſedem conſulis ap. ut in eis de cætero ipſius auct. procedas.*]

CAP. VII.

*Copula carnalis habita cum puella ſeptem annorum, dirimit matrimonium poſtea contractum cum conſanguinea. h. d. ſecundum unum intellectum.*

Idem *Biſuntinen. Archiepiſcopo.*

FRaternitati *i* tuæ: [ 1 & ſ.] Divortii ſententiam approbamus, quam in eum canonicè promulgaſti, qui illam ſibi poſtea copulare præſumpſit, cujus antea ſororem adhuc ſeptennem contractis ſponſalibus extraordinaria libidine noſcitur polluiſſe.

[ 1 *Super tribus capitulis ſed. Apoſt. conſulenti, ad cujus conſilium eſt in rebus dubiis à cunctis fidelibus recurrendum, ſcriptis præſentibus reſpondemus. In primo.*]

CAP. VIII.

*Affinitas cauſata ex copula illicita, rumpit ſponſalia præcedentia, & privat facultate contrahendi matrimonium.*

Idem *Epiſcopo Gerunden.* a

EX literis *b* fraternitatis tuæ accepimus, quòd G. lator earum matrem puellæ, quam intra nubiles annos deſponſaverat in uxorem, carnaliter ſæpè cognovit & poſt carnali commixtione puellam tractavit adultam: [ 1 & ſ.] Nos autem eidem viro pœnitentiam injungi fecimus pro peccato: conſul. t. reſpondentes, quòd eis ab invicem ſeparatis, mulier alteri viro non nubat, ſi poſtquam novit viri & matris delictum, ei non erubuit commiſceri. Vir etiam & mater mulieris nunquam debent ad alias nuptias convolare, ſed ſemper continentiam ſervare tenentur, & enorme deflere delictum, quod pro nefanda libidine contraxerunt, præſertim ſi circa perſonas hujuſmodi de lapſu carnis minimè timeatur.

[ 1 *Unde ipſius viri animæ provideri humiliter poſtulaſti, & utrum mulieri ad ſecundas nuptias eo vivente liceat convolare, cùm hoc factum publicum & notorium habeatur.*]

CAP. IX.

*Idem quoad titulum dicit quod decre. ſupr. prox.*

Idem *Archiepiſcopo Magdeburgen.*

VEniens *c* ad Apoſtolicam ſedem E. laicus nobis propoſuit, quòd cùm tempore infantiæ ſuæ quandam puellam ſe ducturum juraverit in uxorem, quàm citò ad legitimam perveniſſet ætatem: pater puellæ confœderatione hujuſmodi fidejuſſorum obligatione hincinde firmata, eum in propriam domum recepit, & nutrivit inſimul cum puella: deinde ex converſatione diuturna ſorori puellæ carnaliter ſe conjunxit: tandem amicorum ſuorum devictus inſtantia, quam juraverat in uxorem accepit: & nuptiis celebratis, quando ſe illi opportunitas ingerebat, cognoſcebat utramque. Verùm licet in præſentia tua ſuper hoc fuerit accuſatus, convinci tamen non potuit, nec ſuum voluit confiteri delictum: nunc autem reverſus ad cor, pœnitens de commiſſis, ſalutis ſuæ conſilium requirit impendi. Cùm igitur non tantùm à malo, ſed ab omni ſpecie mali præcipiat Apoſtolus *d* abſtinere: mandamus, quatenus prædicto E. pro hujuſmodi enormitatis exceſſu injuncta pœnitentia competenti, conſulas ei, monens illum ſalubriter, & inducens, ut de cætero abſtineat ab utraque.

CAP. X.

*Affinitas ſuperveniens non diſſolvit matrimonium.*

Idem *Archiepiſcopo Strigonien.*

TUæ fraternitatis *e* devotio poſtulavit, utrum is, qui cum ſorore legitimæ conjugis fornicatur, cum uxore poſſit poſtmodum commorari, & exigere debitum, ac ſolvere requiſitus. Nos igitur reſpondemus, quòd uxor & à commixtione viri abſtineat propter publicam honeſtatem, & in continentia maneat, donec vir viam univerſæ carnis ingreſſus fuerit, diligentius eſt monenda. Quòd ſi fortè commonitioni parere recuſans talis fuerit, ut de lapſu timeatur ipſius, vir ejus poterit & debebit cum Dei timore debitum ei ſolvere conjugale, cùm affinitas poſt matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non exiſtit.

CAP. XI.

*Summatum eſt ſupr. capitulo proximo.*

Gregorius IX. *Epiſcopo Pictavien.* f

IOrdanæ *g* mulieris petitio continebant, quòd I. laicus cum ipſa, quæ nondum decimum ætatis ſuæ annum compleverat, per verba de futuro contraxit, & ea

a *Probabiles, in aliquot Cod.* b *Bald. in l. 1. C. de prob. & l. eo quidem. C. de accuſ.* c *C. 1. eod. tit. in 3. comp.* d *Vid. conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. ca. 3.* e *præter.* * *Matth. 19. Marc. 10. Luc. 16.* f *Vid. conc. Trid. ſeſſ. 24. de ſacr. matr. in princ. & ca. 7.* g *legitimum.* h *exiſtat.* i *Ca. 2. eod. tit. in 3. comp. Sot. 4. ſent. diſt. 41. q. un. art. 2. verſic. quòd ſi objicias.*

a *Gerundinen. al. Fertindinen. al. Graden.* b *C. 3. eod. tit. in 3. comp. vide Tabienſem in ſumma, verbo ſponſalia. §. 9. in quarto modo.* c *C. 4. eod. tit. in 3. comp. vide Covarr. 4. decr. pa. 1. c. 5. non longè à principio.* d *1. Theſſ. 5.* e *C. 3. tit. de conſangu. & affin. in 3. comp.* f *Pictavienſi.* g *Vide quos citavi in ca. à nobis, & c. fin. ſupr. de deſponſ. impub.*

intra ejuſdem anni ſpacium carnaliter cognita, matrem ipſius ſibi matrimonialiter copulare, & ad damnatæ commixtionis amplexus procedere non expavit: & infrà. Quare præfata I. ſupplicavit, ut cùm carnis ſtimulis reſiſtere nequeat, ſibi (ne jure ſuo ſine ſua propria culpa fraudetur,) providere ſalubriter dignaremur. Ea propter mandamus, quatenus (ſi res ita ſe habet) utrunque ipſorum ad vovendam perpetuam continentiam attentè moneas & inducas: & ſi ad eam induci nequiverint, memoratum I. (injuncta ei primitus pro commiſſo inceſtu pœnitentia competenti) ut eidem cohabitet, & conjugale debitum reddat exactus, eccleſiaſtica cenſura compellas.

## DE CONSANGVINITATE ET AFFINITATE.

### *TITVLVS XIV.*

### CAP. I.

*Separatur matrimonium contractum inter affines primi generis & quarti gradus.*

Alexander III. *Caſten Abbati.* a

EX literis *b* tuis accepimus, quòd cùm quidam ſecretò quandam viduam ſubarraſſet, & carnaliter cognoviſſet: [ 1 & ℣.] Tandem cùm vir paratus eſſet eam in conſpectu eccleſiæ ſubarrare, ſurrexerunt duo proponentes, quòd iſte qui eam ſubarrare volebat, priorem virum quarto gradu conſanguinitatis attingit, unus autem ita ſe audiviſſe juravit, alius noluit id juramento firmare: [ 2 & ℣. ] Nunc quæſtio prima revixit, & juraverunt duo coram Archipresbytero *c* Plumbarolæ, quòd primus vir fuit ſuperſtiti quinto conſanguinitatis gradu conjunctus. Quocirca mandamus, quatenus utramque partem ante tuam præſentiam convoces, & facias teſtes coram te jurare: [ 3 & ℣.] Inquiſita verò diligentius veritate, ſi per teſtes circumſpectos omni exceptione majores inveneris, quòd primus vir ſuperſtitem quarto gradu conſanguinitatis attingit *d*, non differas divortii ſententiam promulgare: æquè enim (ut canones dicunt) abſtinendum eſt à conſanguineis *e* uxoris, ut propriis. Cæterùm tuam prudentiam volumus non latere, quòd non ſunt cauſæ matrimonii tractandæ per quoslibet, ſed per judices diſcretos, qui poteſtatem habeant judicandi, & ſtatuta canonum non ignorent.

[ 1 *Et cohabitaſſet cum ea per annum, Medualdum virum mulieris traxit in cauſam, proponens, quòd illam in poteſtate ſua poſitam quaſi fornicariam cognoviſſet: tunc vir & mulier quaſi juramento firmaverunt, quòd ab anno alter & plus in alterius copulam conſenſerat maritalem, & de cætero ſicut vir & mulier habitarent inſimul. Cùm autem nec juramentum, nec fidem procurator habuit, exigit eam publicè ſubarrari, quod.*]

[ 2 *Et ob hoc licet ille præfatam mulierem ſubarrare diſtulerit, minimè tamen ab ejus cohabitatione diſceſſit. Proceſſu verò temporis ad inſtantiam Medualdi præfatus vir publicè matrimonium celebravit, & poſtmodum ferè per annum cum uxore permanſit.*]

[ 3 *Ad hæc inquiras à quibus & in quibus & quando didicerint, quod teſtantur. Si verò poſt motam quæſtionem didicerint, non eſt ad eorum dicta jam dictum matrimonium diſſolvendum, ſimiliter nec ſi ab accuſatoribus matrimonii didicerint.*]

### CAP. II.

*Affinitas ſuperveniens, de qua ſaltem conſtat per famam, ſolvit ſponſalia de futuro.*

Vrbanus III. *Burdegalen. Archiepiſcopo.*

SVper eo *a*, quòd juvenem adſeris puellam nondum nubilem fide interpoſita deſponſaſſe, quæ jam facta nubilis eum repetit: & ille excipit dicens, ſe non debere eam ducere, pro eo quòd poſtquam puellam adfidavit eandem, carnaliter propinquam ipſius cognovit: Inquiſ. t.t. reſpond. quòd ſi manifeſtum eſt juvenem cognoviſſe propinquam prædictæ puellæ, vel ſi non eſt manifeſtum, fama tamen loci hoc habet, cùm eſſet ſponſa tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet abſolvi.

### CAP. III.

*Si diſpenſatur cum aliquo, ut poſſit contrahere in certo gradu, aliàs prohibito, requiritur quòd uterq; contrahentium toto gradu diſtet à ſtipite, præſertim ſi hoc habet conſuetudo.*

Celeſtinus III.

QVod *b* dilectio: & infrà. Quæſiviſti, utrum is, qui à ſtipite per deſcendentem lineam, ſexto vel ſeptimo gradu diſtat, poſſit ei, quæ ex altera parte per lineam deſcendentem ab eodem ſtipite, ſecundo vel tertio gradu diſtat, matrimonialiter copulari, propter indulgentiam Apoſtolicæ ſedis legati, qua permiſſum eſt hominibus terræ illius in ſexto gradu conjungi? Quod videtur poſſe fieri ſecundùm regulam, qua dicitur: Quoto gradu quis diſtat à ſtipite, & à quolibet, per aliã lineam deſcendentiũ ab eodem: cùm tamen de conſuetudine terræ, ſi quando talis caſus emerſerit, incolæ propter proximiorem gradum conjunctos ſeparent & impediant copulari volentes. Nos itaque reſpondemus, quòd indulgentia illa ſic eſt intelligenda, quòd uterque conjungendorum diſtet à ſtipite ſexto gradu. Si vero alter ſexto vel ſeptimo gradu diſtat à ſtipite, alter autem ſecundo vel tertio, conjungi non debent: unde in hac parte conſultius duximus multitudini & obſervatæ conſuetudini deferendum, quàm aliud in diſſenſionem & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita novitate.

### CAP. IV.

*Infideles conjuncti in gradu prohibito à lege canonica, poſt baptiſmum non ſeparantur.*

Innocentius III. *Archiepiſcopo & capitulo Tiren.* c

DE *d* infidelibus ad fidem converſis, utrum ſi ante converſionem ſuam ſecundùm legis veteris inſtituta, circa gradus conſanguinitatis à canone denotatos conjuncti fuerint, ſeparari debeant poſt baptiſmum Conſul.t. duximus reſpondendum, quòd matrimonium ſic contractum, non eſt poſt baptiſmi lavacrum ſeparandum, cùm à Iudæis Dominus requiſitus, ſi liceret uxorem ex quacunque cauſa dimittere, ipſis reſpondit: Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet: per hoc innuens eſſe matrimonium inter eos.

### CAP. V.

*Conſanguinei mariti cum conſanguineis uxoris licitè contrahunt, hoc primò. In gradibus prohibitis non poſſunt matrimonia contrahi, etiamſi hoc habeat conſuetudo. hoc ſecundò.*

Idem *Roſan.* f *Archiepiſc.*

QVod *g* ſuper his: [ 1 & ℣.] Super eo igitur, quòd pater & filius, cum matre & filia, & duo cognati cum duabus cognatis, avunculus & nepos cum duabus ſororibus contrahunt matrimonia *h*, taliter tibi duximus reſpondendum, quòd licet omnes conſangui-

a *Caſinenſ. al. Calſin.* b *C.1. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alexand. III. p. 6. c. 32.* c *Plombadæ.* d *contingit.* e *in 7. Codicibus manuſcr. ita: à conſanguineis uxoris & propriis.*

a *C.1. eod. tit. in 2. comp.* b *C.2. eo. tit. in 2. comp. tenendum eſt, quod decrevit Concil. Lat. ſub Innoc. III. quod refertur ℣. hoc tit. ca. non debet. Adde quæ diximus in tractatu cognationis.* c *Tiron. al. Tirenſ. al. Turonenſi.* d *Ca.1. eod. tit. in 3. comp. vide Magiſt. ſent. 4. ſent. diſt 39. & ibi D. Thom. q. 1. art. 2.* e *Geneſ. 2. Matth. 19. Marc. 10.* f *Roſſanen. al. Roſamen. al. Piſan.* g *C.1. eod. tit. in 3. comp.* h *al. matrimonialiter taliter tibi, &c.*

nei

nei viri ſint affines uxoris, & omnes conſanguinei uxoris ſint viri affines: inter conſanguineos tamen uxoris & viri, ex eorundem, ſcilicet viri & uxoris conjugio, nulla prorſus affinitas eſt contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Ne autem *a* intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur debes publicè inhibere, & præſumptores eccleſiaſtica diſtrictione punire, non obſtante conſuetudine, quæ dicenda eſt potius corruptela.

[ 1 *Articulis, qui tibi aliquam dubitationem inducunt, noſtrum ducis conſilium requirendum, & ad ea exequenda quæ officium expoſtulant paſtorale ap. ſe. procuras auxilium invocare, ſolicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, & poſtulationibus tuis grato animo reſpondemus. Significaſti ſiquidem nobis, quòd in diœc. tua pater & filius, & matrem & filiam, duo cognati duas cognatas, avunculus & nepos duas ſorores ducunt in conjuges, & maritus & uxor ſimul baptizant puerum alienum. Quidam præterea tuæ diœc. infra tertium & ſeptimum gradum conſanguinitatis ſe contingentes ad invicem matrimonium contrahunt, hoc ſibi licere de antiqua conſuetudine aſſerentes.*]

## CAP. VI.

*Non valeat diſpenſatio obtenta à Papa ſuper matrimonio inter conſanguineos contracto, ſi ibi cauſa falſa ſit expreſſa, niſi poſtea eam Papa confirmaret. h. d. ſecundùm verum & communem intellectum.*

Idem.

QVia *b* circa: & infrà. Porrò de nobis viro N. pro cujus diſpenſatione, indulgentia ſcilicet remanendi cum ea, quæ ipſum quinto cônſanguinitatis gradu contingit, à ſed. Apoſt. obtinenda, falſa nobis cauſa fuerat allegata, proles videlicet. Cùm tamen ante diſpenſationem obtentā unica filia, quam habebat, viam fuerit univerſæ carnis ingreſſa, prout tua conſultatio continebat: diſſimulare poteris, ut remaneant in copula ſic contracta, cùm ex ſeparatione (ſicut adſeris) grave videas ſcandalum imminere.

## CAP. VII.

*Teſtes, qui de conſanguinitate deponunt, computationem debent à ſtipite, vel germine incipere.*

Idem.

TVanos *c* duxit fraternitas conſulendos, utrum illorum ſufficiat teſtimonium ad matrimonium dirimendum, qui conſanguinitatis gradibus ab avunculo & nepote, videlicet fratris filio, vel ſororis incœperint computare? Nos igitur inquiſ. t. t. r. quòd cùm conjugium multum favoris obtineat, teſtes, qui ad divortium celebrandum producti conſanguinitatis gradus computant, à ſtipite debent incipere, id eſt, à parentibus vel germanis, & ſic per ordinem diſtinguere gradus, nominibus propriis, vel æquipollentibus indiciis deſignando perſonas, præſertim cùm ſæpiùs teſtimonium perhibeant de auditu: quod quia minus eſt validum, non eſt in articulo hujuſmodi nimium laxanda facultas: quum qua ratione computationem inciperent à ſecundo, eadem ab ulterioribus inchoarent.

## CAP. VIII.

*In ſecundo & tertio affinitatis genere tollitur prohibitio, quæ olim erat in matrimonio contrahendo. Similiter tollitur prohibitio de ſobole ſuſceptæ ex ſecundis nuptiis, quæ olim non poterat contrahere cum cognatione prioris viri. Et prohibitio conjugis ultra quartum, conſanguinitatis & affinitatis gradum non extenditur. h. d. iſte textus qui quotidie allegatur, & eſt ſingularis in materia ſua.*

Idem *in Concilio generali.*

NOn *a* debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundùm varietatem temporum, ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cùm urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in novo. Cùm ergo prohibitiones de conjugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, & de ſobole ſuſcepta ex ſecundis nuptiis, cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant & aliquando periculum pariant animarum, cùm ceſſante prohibitione, ceſſet effectus: conſtitutiones ſuper hoc editas, ſacri adprobatione concilii revocantes, præſenti conſtitutione decernimus *b*, ut ſic contrahentes de cætero liberè copulentur. Prohibitio *c* quoque copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari. Quaternarius verò numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apoſtolus, quòd vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier: neque mulier habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: quia quatuor ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor *d* elementis. Cùm ergo jam uſque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ ſit reſtricta: eam ita volumus eſſe perpetuam, non obſtantibus conſtitutionibus ſuper hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis: ut ſi quis contra prohibitionem hujuſmodi præſumpſerit copulari; nulla longinquitate defendatur annorum: cùm diuturnitas temporum non minuit peccatum, ſed auget: tantoque ſunt graviora crimina, quanto diutius infœlicem animam detinent alligatam.

## CAP. IX.

*Diſtans à ſtipite quarto gradu vel citeriori, cum diſtante quinto, ulteriori contrahere poteſt. h. d. cum gloſſa.*

Gregorius IX.

VIr, qui à ſtipite *e* quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundùm regulam adprobatam, quæ dicitur: Quoto gradu remotior differt *f* à ſtipite, & à quolibet per aliam lineam deſcendentium ex eodem: licitè poſſunt matrimonialiter copulari.

# DE FRIGIDIS *g* ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

## TITULUS XV.

## CAP. I.

*Si marito provocante ad divortium, & ſe impotentem aſſerente, mulier hoc item fatetur, ſervata ſolennitate canonica matrimonium indiſtinctè dirimitur: ſed ſi decipiatur eccleſia, primum matrimonium reparatur: ſi verò muliere agente vir aſſerat ſe potentem, niſi per aſpectum corporis, vel alio indubitato modo convincatur, mulier non auditur: ſed ſi vir hoc idem confitetur vel convincitur, matrimonium ſeparatur, & mulieri contrahendi licentia datur. h. d. ſecundùm Hoſtien.*

Ex Brocardico lib. 18.

ACcepiſti *h* mulierem, & per aliquod tempus habuiſti, per menſem, aut per tres, aut per an-

a *Vide Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. matr. can. 6.* b *Quantum ad contrahendum vel non intra gradus prohibitos attinet, bene decif. c. non debet. ℣. eod.* c *C. 2. eod. tit. in 4. comp. & quatenus agitur de teſtimonio de auditu, vide Cravettam de antiq. tem. part. 1. circa finem, verſ. viſo de fama, num. 304. cum multis ſeq. adde text. in c. licet ex quadam. Sup. de teſt.*

a *Ca. 3. eod. tit. in 4. comp.* b *decrevimus.* c *Vide B. Thom. 4. ſent. diſt. 40. q. 1. art. 4.* d *In concilio & aliquot vetuſtis, quod conſtat ex quatuor elementis.* e *Vide citatos in ca. præcedenti.* f *diſtat.* g *De materia hujus tit. 4. ſent. diſt. 34. ubi doct. & B. Th. q. 1.* h *C. 1. eod. tit. in 1. comp. vide Durandum 4. ſent. diſt. 34. q. 2. & plenius ibi Sotum. q. 1. art. 2.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

num: & nunc primùm dixiſti te eſſe frigidæ naturæ, ita ut non potuiſſes coire cum illa, nec cum aliqua alia: ſi illa, quæ uxor tua eſſe debuit, eadem affirmat quæ tu dicis, & probari poteſt per verum indicium, ita eſſe ut dicitis, ſeparari poteſtis, ea tamen ratione, ut ſi tu poſt aliam acceperis, reus perjurii *a* dijudiceris: & iterum poſt peractam pœnitentiam priora connubia reparare debebis. Illa autem *b* ſi prior poſt annum, aut dimidium ad Epiſcopum, aut ejus miſſum proclamaverit, dicens, quòd non cognoviſſes eam, tu autem contrarium affirmas, tibi credendum eſt, eo quòd caput es mulieris: quia ſi proclamare voluit, cur tamdiu tacuit? citò enim & in parvo tempore ſcire potuit, ſi ſecum coire potuiſſes. Si autem ſtatim in ipſa novitate poſt menſem, aut duos, ad Epiſcopum, aut ejus miſſum proclamaverit, dicens, Volo eſſe mater, volo filios procreare, & ideò maritum accepi: ſed vir, quem accepi, frigidæ naturæ eſt, & non poteſt illa facere propter quæ illum accepi: ſi probari poteſt per rectum judicium, ſeparari poteſtis, & illa ſi vult, nubat in Domino.

## CAP. II.

*Impotens ad copulam, eſt impotens ad contrahendum matrimonium, ſive ſit impedimentum ætatis, ſive naturæ.*

Alexander III. *Ambianen.* c

*Epiſcopo.*

QVod *d* ſedem: [ 1 & ſ.] Sicut puer, qui non poteſt reddere debitum, non eſt aptus conjugio: ſic qui impotentes ſunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur.

[ 1 *Apoſtolicam conſuluiſti ſuper his quæ tibi dubia exiſtunt, gratum gerimus & acceptum, & tua exinde f. non parùm commendanda videtur. Ex tua ſiquidem parte nobis eſt intimatum, quòd quædam mulier tui epiſcopatus cuidam viro nupſerit, aſſerens quòd ob utriuſq; inguinis rupturam genitalia ejus abſciſſa fuiſſent, nec dum ab eo cognita fuiſſet, qui utiq; factus leproſus ſe pariter & ſua domui reddidit infirmorum. Mulier verò ad domum patris reverſa ſicut aſſeris juvenis, alii viro nubere deſiderat, & conjugali affectu conjungi. Unde licet Roman. eccleſia non conſueverit propter talem infirmitatem, vel propter alia maleficia legitimè conjunctos dividere, ſi tamen conſuetudo generalis Gallicanæ eccleſiæ habet, ut hujuſmodi matrimonium diſſolvatur: nos patienter tolerabimus, ſi ſecundùm eandem conſuetudinem eidem mulieri, cui volueris nubendi in Domino conceſſeris facultatem.*]

## CAP. III.

*Naturale impedimentum ad coitum, inſeparabile arte medicorum, matrimonium impedit.*

Idem.

EX literis *e* tuis accepimus, quòd quidam ſedecim annorum, quandam annorum tredecim duxit uxorem: qui cùm debitum reddere non poſſet, mulier tam gravem infirmitatem contraxit, ut omninò viro ſit facta inutilis, & inſtrumentum ejus impeditum, ita quòd vir ei commiſceri non poteſt. Reſpondemus igitur, quòd ſi vitium illud mulier à natura contraxit, nec ope medicorum poterit adjuvari, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.

## CAP. IV.

*Contrahens ſcienter cum impotenti ad copulam, ab ea non ſeparatur.*

Lucius III.

COnſultationi *f* tuæ, qua nos conſuluiſti, utrum fœminæ clauſæ impotentes commiſceri maribus, matrimonium poſſunt contrahere? & ſi contraxerint, an debeat *a* reſcindi? Taliter reſpondemus, quòd licet incredibile videatur, quòd aliquis cum talibus contrahat matrimonium: Romana tamen eccleſia conſuevit in conſimilibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non poſſunt, habeant ut ſorores.

## CAP. V.

*Si de impotentia coëundi conſtet, ſtatim matrimonium ſeparatur: aliàs cohabitabunt conjuges per triennium: & ſi cum ſeptima manu propinquorum jurant, quòd dederunt operam carnali copulæ, & non potuerunt conjungi, ſtatim ſeparautur. Ita communiter ſummatur.*

Celeſtinus III.

LAudabilem *b*: & infrà. Requiſiviſti quantum tempus indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ nuptialis: [ 1 & ſ.] Nos verò in præſenti conſultatione ſentimus, ut à tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſet, cohabitent per triennium: quo elapſo, ſi nec tunc cohabitare voluerint, & juxta *c* decretum Gregorii mulier per juſtum judicium, de viro probare potuerit, quòd cùm ea coire non poſſit, accipiat alium: ſi autem ille aliam acceperit, ſeparentur. Quòd ſi ambo conſentiant ſimul eſſe, vir eam, etſi non ut uxorem, ſaltem habeat, ut ſororem. Si autem, quòd nunquam ſe invicem cognoverint ambo fatentur, cum ſeptima manu propinquorum, vel vicinorum bonæ famæ (ſi propinqui defuerint) tactis ſacroſanctis evangeliis, uterque jurejurando dicat, quòd nunquam per carnis copulam una caro effecti fuiſſent, & tunc videtur, quòd mulier valeat ad ſecundas nuptias convolare. Verùm ſi ille aliam duxerit, tunc hi qui juraverant, rei perjurii teneantur, & peracta pœnitentia cogantur ad connubia priora redire.

[ 1 *In qua ſi defecerint ſeparentur.*]

## CAP. VI.

*Propter arctationem mulieris, ſi apparet, quòd præter divinum miraculum abſq; periculo corporali habilis reddi non poteſt, ſeparatur matrimonium: redintegratur, tamen ſi poſtea appareat eccleſiam fuiſſe deceptam.*

Innocentius III. *Altiſſiodoren.*

*Epiſcopo.*

FRaternitatis tuæ literas *d* recepimus, continentes quòd O. mulier cuidam viro matrimonialiter nupſit, cum quo per multos annos morata, non potuit carnaliter ab ipſo cognoſci. Licet autem per Archipresbyterum tuum ſuper hoc fuiſſes edoctus, tu tamen volens habere certitudinem pleniorem, quaſdam matronas ſuæ parœciæ providas & honeſtas, ad tuam præſentiam evocaſti, diſtrictè illis injungens, ſub periculo animarum, ut mulierem ipſam prudenter inſpicerent, & perquirerent diligenter, utrum idonea eſſet ad viriles amplexus, quæ tandem in fide ſua tibi aſſeruere constanter, quòd eadem nunquam poterat eſſe mater aut conjunx, tanquam cui naturale deerat inſtrumentum, unde inter ipſam & virum divortium celebraſti, mulierem inducens, ut ad religionem aliquam ſe transferret, perpetuam continentiam ſervatura: & viro licentiam tribuiſti, ut uxorem duceret, quia pater fieri cupiebat. Contigit autem poſtea, quòd mulier invenit, qui ſeras hujuſmodi reſeravit, & abjiciens continentiam, quam promiſit, G. latori præſentium ſupernupſit. Quamvis igitur ſemiplenè nobis expreſſeris, quomodo dicta mulier ſe promiſerit continentiam ſervaturam, utrum videlicet ſimplici verbo, an voto ſolenni: utrùm ve

a *Iudiceris.* b *in aliquot manuſcr. poſt annum & dimidium, quam lectionem videtur agnoſcere gloſſ. in verbo, tacuit.* c *Ambien.* d *C. 3. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lat. ſub Alex. III. p. 50. c. 28. vide Sylveſtrum in ſumma, verbo matrimon. q. 16.* e *C. 1. eod. tit. in 2. comp. vide Th. 4. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 2.* f *C. 2. eod. tit. in 2. comp.*

a *Debeant.* b *C. 3. eod. tit. in 2. comp.* c *Gregorii ad Ioan. Ravennatem Epiſcopum, ut referunt Burc. l. 9. decr. c. 40. & Ivo p. 8. c. 178. & Pannorm. lib. 6. c. 4. ſive c. 135.* d *C. un. eod. tit. de impot. coeundi, in 3. comp. vid. B. Th. 4. ſent. diſt. 34. q. 1. art. 2. vide Hoſtien. in ſumm. tit. de frigid. & maleſic. §. qualiter & quando.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

utrúmve ad religionem tranſierit, ut promiſit, an contra promiſſionem *a* ſuam in domo remanſerit, & qualiter ſeras illas fecerit reſerari, utrum videlicet artificio medici, an cōcubitu viri, ſeu alio quolibet modo: nos tamen perſpicaciter attendentes, quòd impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum abſque corporali periculo potuit removeri: ſententiam divortii per errorem licet probabilem novimus eſſe prolatam, cùm pateat ex poſt facto, quòd ipſa cognoſcibilis erat illi, cujus ſimili commiſcetur: & ideò inter ipſam & primum virum dicimus matrimonium extitiſſe: quare inter eam & præfatum Guil. matrimonium non eſſe cenſemus, eoſque præcipimus abinvicem ſeparari. Et ſi prædicta mulier ad religionem tranſivit (ſicut aſſerit *b* promiſiſſe) primus vir, qui non cognovit eandem, cum ea remaneat, cum qua poſtmodum eccleſiæ auctoritate contraxit: alioquin ea dimiſſa, debet ad illam redire, cum qua primò contraxit, niſi ſe voto mulier illa conſtrinxerit ad continentiam obſervandam, ut intelligatur per hoc cum præfato Guil. fornicata fuiſſe, vel niſi ſe fornicario modo alii viro miſcuerit, ut primus vir prætextu fornicationis, ejus velit conſortium declinare: nam ſi tantùm ſimplici verbo ſe promiſit continentiam ſervaturam, & poſtea in conſpectu eccleſiæ nupſit memorato Guillel. quamdiu articulus iſte dubitabilis erat, præſumi non debet, quòd fornicaretur cum illo, ſed amodo non debet cum illo aliquatenus remanere. Per hæc *c* autem quæſtionem illam noveris eſſe ſolutam, qua quæritur, utrum ea, quæ adeò arcta eſt, ut nulli poſſit carnaliter commiſceri, niſi per inciſionem, aut alio ſibi modo *d* violentia inferatur, non ſolummodo levis, ſed fortè tam gravis, ut ex ea mortis periculum timeatur, ad matrimonium contrahendum debeat idonea perhiberi. Similiter illa, quæ viro cui nupſerat, adeò arcta eſt, ut nunquam ab eo valeat deflorari: ſi ab eo ſit per judicium eccleſiæ ſeparata, & nubit alteri, cui arcta non ſit, & per frequentem uſum ſecundi, reddatur etiam apta primo: utrum ad eum redire debeat, cùm quo priùs fœdus inierat conjugale. De talibus autem non eſt facile judicandum: cùm finale judicium pendeat ex futuro.

## CAP. VII.

*Si uxor dixit virum, cui cohabitavit per triennium, non habere potentiam coeundi, eis hoc jurantibus cum ſeptima manu propinquorum, matrimonium ſeparatur. h. d. inhærendo verbis literæ.*

Honorius III. *e*

Literæ veſtræ nobis tranſmiſſæ continebant, quòd cùm cauſa matrimonii quæ inter M. Mulierem & A. ejus virum vertitur, vobis fuiſſet ab I. Papa prædeceſſore noſtro commiſſa: dicta M. propoſuit, quòd cùm octo annis elapſis dicto A. fuiſſet matrimonialiter copulata, & licet diu cohabitaſſet eidem, adhuc integra permanebat, eo quòd prædictus vir ejus non habebat potentiam coeundi: quare petebat divortium celebrari. prædictus verò A. fatebatur, quòd illam nunquam cognoverat: tamen ſe habere potentiam cognoſcendi alias adſerebat. Vos verò, ne id confiterentur in fraudem, à matronis bonæ opinionis, fide dignis, ac expertis in opere nuptiali, dictam feciſtis inſpici mulierem: quæ perhibuerunt teſtimonium ipſam adhuc virginem permanere. Poſtmodum per Presbyterum, de cujus parœcia vir extitit, feciſtis inquiri, utrum ipſe aliquam cognoviſſet: nec per inquiſitionem ipſam vobis conſtare potuit, aliquam eſſe carnaliter cognitam ab eodem. Muliere autem requirente divortium, & dicente, quòd mater eſſe volebat, & filios procreare, proponente verò viro, quòd paratus erat ſtare conſilio eccleſiæ, injunxiſtis eisdem, ut agerent pœnitentiam de commiſſis, & ſic fortè placet Deo *a*, qui matrimonii fuit inſtitutor & auctor, ut opus matrimonii conſummarent: qui poſt plures terminos ad veſtram reverſi præſentiam, conſona voce dixerunt, quòd non poterant carnaliter commiſceri. Quocirca mandamus, quatenus ſi ita eſt, & conſtiterit vobis præfatum virum & mulierem, intra prædictos octo annos, per continuum triennium inſimul habitaſſe: ipſis cùm ſeptima propinquorum manu firmantibus juramento, ſe commiſceri carnaliter nequiviſſe, proferatis divortii ſententiam inter eos.

a *Dictio ſuam, deeſt in antiq. exemplaribus.* b *Hæc verba, ſicut aſſerit prom. deſunt in omnibus Vaticanis, habentur tamen in aliis paulò recentioribus & antiqua compilat.* c *al. per hoc autem.* d *al. aut alio ſimili modo, &c.* e *Si hanc decretalem intelligas juxta communem ſenſum, ut loquatur de eo qui per maleficia factus erat impotens ad congrediendum cum uxore, vide Sot. 4 ſent. diſt. 34. q. 1. art. 3.*

# DE MATRIMONIO CONTRACTO CONTRA INTERDICTUM ECCLESIAE.

## *TITULUS XVI.*

## CAP. I.

*Matrimonium contra interdictum eccleſiæ, vel judicis factum ſeu contractum, propter hoc ſolum non dirimitur: imponitur tamen pœnitentia ſic contrahentibus, & ſeparantur, donec cognoſcatur de cauſa interdicti. h. d. in effectu totus iſte titulus.*

Alexander III. *Paduen. Epiſcopo.*

Literæ *b*, quas tua nobis fraternitas deſtinavit, expreſsè declarant, quòd cùm quidam ſororem ſuam jam nubilem cuidam ſe daturum in uxorem ea præſente & conſentiente, præſtito juramento firmaſſet: & illa non poſt multos dies dona & munera viri ſecundùm morem terræ ſpontè ſuſcipiens, ipſum tanquam proprium virum ſæpè amplexata fuiſſet: tandem mortuo fratre, à proprio viri ſui fratre ſe deſponſari permiſit, & quod ab illo *c* cognita fuiſſet, mendaciter adſeverat. Cumque ei prohibuiſſes publicè, ne cui illorum, vel alicui *d* ſe copularet, ipſa ſpretis monitis tuis, alii nubere non expavit: demum cùm mulieri præcepiſſes, ut ad domum matris rediret, ipſa noſtram audientiam appellavit: [ 1 & ℣.] Mandamus, quatenus ſi eſt ita, præfatam mulierem (ne mandatum tuum contemptibile videatur) ad domum matris redire compellas, & impoſita ſibi de tanto exceſſu pœnitentia condigna, poſtquam in domo materna per menſem ſteterit, ad tertium reverti permittas.

[ 1 *Verùm quoniam ſolicitudini noſtræ incumbit exceſſus & enormitates aliorum corrigere, & ad modum & formam rectitudinis revocare: f. t. p. a. ſ.*]

## CAP. II.

*Sponſalia de futuro cum una etiam contra interdictum eccleſiæ contracta, non habent dirimere matrimonium poſtea contractum cum alia.*

Idem *Vigorien. & Baron. Epiſcopis.* *e*

Ex literis *f* Cantuarien. Archiepiſcopi ad nos pervenit, quòd cùm G. de ſancto Leodegario M. filiam ſuam abſentem, cuidam R. nomine deſponſaſſet: [ 1 & ℣.] Poſtea orta ſuſpicione, quòd præfatus R. ad alia deſideraret vota tranſire, ad examen fuit dicti Archiepiſcopi cauſa perlata: qui ſub anathematis interminatione prohibuit, ne antequam de præſcripto negotio plenè conſtaret, vir

a *In uno Vaticano: ſi fortè placeret Deo, qui matrimonii fuit inſtitutor & auctor, opus matrimonii conſummarent, &c.* b *C. 1. eod. tit. in 1. comp.* c *ab eod.* d *alii: ſed in antiquis, alicui.* e *Vuigoren. & Baton. al. Vigornien. & B. ſed ferè in om. manuſcr. Vuigor. & Baton.* f *C. 3. eod. tit. in 3. comp.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ad ſecunda vota tranſire: ſed ipſe præſcripta prohibitione contempta, filiam G. in facie eccleſiæ ſibi ſolenniter copulavit uxorem: [ 2 & ̄ſ. ] Cùm Archiepiſcopus vellet de matrimonio primo cognoſcere, dicta M. appellationis vocem emiſit: cujus appellationi Archiepiſcopus deferens, eidem ſub excommunicationis interminatione diſtrictius interdixit, ne cui nuberet, donec cauſa ipſa finem debitum ſortiretur: ipſa tamen de remedio appellationis confiſa, cuidam alii Gu. nomine nupſit: [ 3 & ̄ſ. ] Mandamus, quatenus ſi nihil conſtiterit, quod impediat, præter conſenſum de futuro, qui inter præfatos *a* R. & M. adſeritur præceſſiſſe, ſecunda matrimonia inviolabiliter obſervanda ſublato appel. obſtaculo judicetis. Licet enim contra interdictum eccleſiæ ad ſecunda vota tranſire non debuerit, non eſt tamen conveniens, ut ob id ſolum ſacramentum conjugii diſſolvatur: alia *b* tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionem eccleſiæ hoc fecerunt.

[ 1 *Poſt modicum tempus quibuſdam ipſius mulieris conſanguineis procurantibus, memoratus R. cum ea præſente verbis præſentis temporis contraxit, ſicut dicitur, matrimonium. Fide hincinde corporaliter præſtita, quòd vir mulierem ſicut uxorem legitimam de cætero exhiberet, & ipſa reverenter ei ſine contradictione, ſicut viro legitimo obediret, nihilq; defuit, niſi ſolennitas in facie eccleſiæ celebranda, quæ propter tempus quadrageſimæ tunc non potuit effectui mancipari.*]

[ 2 *Poſtmodum verò duabus mulieribus & viro coram Archiepiſcopo conſtitutis, prædictus R. publicè confeſſus eſt, ſecum M. ſicut ſuperius dictum eſt, matrimonium contraxiſſe, & aliam ſ. Matildam prava quorundam ſuggeſtione ſeductum poſtmodum accepiſſe. Maria verò conſtanter aſſeruit, quòd pater ejus non moveras de voluntate ejus querelam, dicens quòd inter ipſam & præfatum R. excepta ſola fide de contrahendo matrimonio nulla obligatio interceſſerat: quam quia ipſe non ſervaverat, ſervare minimè tenebatur: & ideò eam quam ſecundò acceperat, relinquebat. Cùm autem alia præfat. R. tanquam proprium virum ſibi reſtitui poſtularet.*]

[ 3 *Et ſuper hoc citata coram Archiepiſcopo noluit propter appellationem quam objecerat, apparere. Cùm igitur abſentibus partibus non videretur nobis negotium finiendum, ipſum experientiæ veſtræ de qua multum confidimus committentes.*]

CAP. III.

*Si hi, qui dicebantur conſanguinei, contraxerunt contra præceptum judicis, debent ſeparari, donec de cauſa cognoſcatur.*

Idem *Paduan. Epiſcopo.*

DE muliere *c:* & infrà. Illos autem, qui pro conſanguinitate prohibentur conjungi, & pòſt contra interdictum eccleſiæ ſe receperint, excommunicationi debes ſubjicere, donec tamdiu ſeparentur, quouſque legitimè cognoſcatur, utrum eorum matrimonium poſſit & debeat jure ſtare.

## QVI FILII SINT LEGITIMI.

### TITVLVS XVII.

CAP. I.

*Naturalis ex ſoluto genitus & ſoluta, legitimatur per ſubſequens parentum conjugium, etiam quoad hæreditatem.*

Alexander III.

COnqueſtus *d* eſt nobis H. quòd cùm quandam mulierem in uxorem acceperit, R. patruus mulieris ipſam exhæredare conatur, eò quòd ante deſponſationem matris ſuæ nata fuerit, licet poſtea pater mulieris præfatæ matrem ipſius acceperit in uxorem. Ideoque mandamus, quatenus ſi eſt ita, eam legitimam judicetis, prædicto R. inhibentes, ne dictæ mulieri hac occaſione ſuper hæreditate paterna moleſtiam inferat, vel gravamen. Si autem contra hoc venire præſumpſerit, cum *a* ſeveritate eccleſiaſtica procedatis.

CAP. II.

*Separato matrimonio in facie eccleſiæ contracto, filii geniti vel concepti ante ſententiam ſunt legitimi.*

Idem.

CVm *b* inter I. virum, & T. mulierem divortii ſententia canonicè ſit prolata, filii eorum non debent exinde ſuſtinere jacturam, cùm parentes eorum publicè ſine contradictione eccleſiæ inter ſe contraxiſſe noſcantur. Ideoque ſancimus, ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, & qui *c* concepti fuerant ante latam ſententiam, non minus habeantur legitimi, & quòd in bona paterna hæreditario jure ſuccedant, & de parentum facultatibus nutriantur.

CAP. III.

*Statur verbo viri & mulieris, qui negant aliquem filium, niſi indiciis & teſtibus probetur contrarium.*

Idem *Rothomagen. Archiepiſcopo.*

TRanſmiſſæ *d* nobis tuæ literæ continebant, quòd cùm N. uſque ad juventutem quendam puerum nutriviſſet, uxore ſua M. tunc non deſponſata ſibi cohabitante, poſtmodum ipſam legitimè deſponſavit, & filios ſuſtulit ex eadem: quibus paternam hæreditatem petentibus, prædictus juvenis *e* contradicit, gerens ſe filium & hæredem, quamvis à vicinia, quæ ipſum filium eorum eſſe credebat, ſpurius diceretur: prædicti verò N. & uxor ejus præfatum juvenem ſpurium ſuum, aut legitimum filium eſſe negabant, ſed dicebant, quòd eum pietatis intuitu nutriviſſent. Cùm autem quæſtio coram te mota eſſet, & prædictus juvenis pro eo, quòd juri ſtare nolebat, vinculo ſit excommunicationis adſtrictus: Conſul. t. t. reſpond. quòd in tali caſu ſtandum eſt verbo viri & mulieris: niſi certis indiciis & teſtibus tibi conſtiterit, eſſe *f* filium juvenem memoratum.

CAP. IV.

*Illegitima proles eſt, quam viro vivente uxor ex adulterio concepit, ſive cum adultero, ſive cum viro moretur.*

Idem *Exonien.* g *& Vinconien. Epiſcopis, & Abba. Herforden.*

CAuſam *h* quæ: [ 1 & ̄ſ. ] Si conſtiterit, quòd Agatha de Anelina muliere tempore Alani viri ſui, ipſa cum eo tanquam cum viro ſuo morante, vel R. patre dictæ Agathæ ipſam A. adhuc habente virum publicè tenente nata fuit, eam non fuiſſe legitimam ejuſdem R. filiam judicetis: quia non potuit eſſe uxor, quæ viri ſui torum maculans, alii dum ille viveret, copulari præſumpſit.

[ 1 *Inter nobiles viros F. & S. de Arden. quendam filium Agathæ de nativitate ipſius vertitur vobis f. ep. & ven. f. n. Lundon. ep. ſub certa forma commiſimus terminandam: Verùm quoniam idem F. de Ard. præfa. Lundon. Epiſcopum omnino habebat pro eo quod dominus eſt prædicti R. amovendum. & te fili Abbas loco illius duximus ſubrogandum. per Apoſt. itaq; ſcripta vobis mandamus, quatenus.*]

a *Præfatum.* b *aliqua in recentioribus. nam in omni. veteribus alia legitur.* c *C. 5. tit. de ſponſ. §. illos. in 1. comp. & poſt concil. Lat. ſub Alex. III. p. 6. c. 19.* d *Ca. 1. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub Alex. III. p. 33. c. 3.*

a *In aliis, contra eum: ſed in omnibus antiquis, ut eſt impreſſum.* b *C. 2. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. ſub. Alex. III. p. 33. c. 5.* c *conceptus.* d *C. 3. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 8. c. 11.* e *contradixit.* f *in aliquot exemplaribus filium eſſe illorum, ſed in antiquis, ut eſt expreſſum.* g *Exon. al. & Vinconien. ſed rectius ut eſt impreſſum.* h *C. 4. eod. tit. in 1. compilat. vide c. cauſam quæ. ſupr. de dolo. & cap. cauſam quæ. ſupr. de offi. deleg.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## CAP. V.

*Quæſtio nativitatis oppoſita petenti hæreditatem coram judice ſeculari, eſt ad eccleſiaſticum judicem tranſmittenda. h. d. & eſt textus multùm notabilis & allegabilis.*

Idem *Exonien. Epiſcopo, & Abbati Herford.*

LAtor *a* præſentium R. [ 1 & ſ.] Cùm autem idem R. H. coram ſeculari judice ſuper hæreditate avi ejuſdem R. patris dicti H. traxiſſet in cauſam : ille ſibi præſumpſit objicere, quòd pater ejus non fuit de legitimo matrimonio natus, & ideò de hæreditate avi ſui nihil poſſit in ſucceſſorio vindicare : tandem cùm ſuper quæſtione nativitatis coram Norvicen. Epiſcopo tractatum fuiſſet, ad noſtram extitit audientiam appellatum ; [ 2 & ſ.] Ideoque mandamus, quatenus cauſam ſuper quæſtione nativitatis patris ejusdem R. intra duos menſes ſublato appellationis obſtaculo terminetis. Si verò intra duos menſes præfatus H. non poterit probare legitimè quod objecit, ex tunc ſeculari domino, ſub cujus judicio de hæreditate cauſa vertitur, intimetis : ut pro quæſtione nativitatis non dimittat, quin cauſam ſuper hæreditate audiat & decidat.

[ 1 *Non ſine multo diſcrimine ſui corporis ad noſtram accedens præſentiam, ſua nobis conqueſtione propoſuit : quòd cùm avus ſuus uxores duas habuerit, de quarum una ejus pater proceſſit, de altera diug. patruum ſuum ſuſtuliſſet : idem Ha. XL. acras terræ quæ ipſum & patrem ejuſdem R. contingunt, per violentiam detinet, nec eidem R. qui ſuccedere in bonis paternis debet, vult exhibere debitam partem.*]

[ 2 *Sed eo veniente, altera pars vel per ſe vel per alium ſuam nobis exhibere præſentiam contempſit. Nolentes itaq; cauſam ipſam diutius protrahi, eam experientiæ veſtræ committentes.*]

## CAP. VI.

*Naturales legitimantur per ſequens parentum conjugium, ſpurii verò non, h. d. inhærendo verbis literæ. Et eſt caput famoſum, & quotidie allegatur in utroq; foro.*]

Idem *Exon. Epiſcopo.*

TAnta eſt *b* vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur. Si autem vir vivente uxore ſua aliam cognoverit, & ex ea prolem ſuſceperit, licet poſt mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus ſpurius erit filius *c* : & ab hæreditate repellendus, præſertim ſi in mortem uxoris prioris alteruter eorum, aliquid fuerit machinatus.

## CAP. VII.

*De cauſa civili inter laicos non cognoſcit eccleſia : cognoſcit tamen an quis ſit de legitimo matrimonio natus.*

Idem *London, & Vigorien. Epiſcopis.*

CAuſam *d* quæ inter R. & F. ſuper eo, quòd mater dicti R. dicitur non fuiſſe de legitimo matrimonio nata, agitari dignoſcitur, vobis commiſimus terminandam. Verùm quia literis noſtris inſeri fecimus, ut ſæpè fato R. poſſeſſionem omnium, quorum poſſeſſor extitit, quando avus ſuus proficiſcendi Hieroſolymam iter arripuit, ante principalis cauſæ ingreſſum faceretis reſtitui, ſi eadem poſſeſſione fuiſſet per violentiam ſpoliatus : nos attendentes, quòd ad Regem pertinet, non ad eccleſiam de talibus poſſeſſionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere, qui ipſarum judicium ad ſe aſſerit pertinere. Fraternitati veſtræ mandamus, quatenus Regi poſſeſſionum judicium relinquentes, de cauſa principali, videlicet, utrum mater prædicti R. de legitimo ſit matrimonio nata, plenius cognoſcatis, & cauſam hujuſmodi terminetis, licet incongruum videatur, ut matrimonium genitricis præfati R. impetatur, quod ea vivente non fuit (ut dicitur) impetitum.

## CAP. VIII.

*Si mulier per judicium eccleſiæ ſeparata à primo, vivente illo contrahit cum ſecundo, legitima erit proles, quam ex illo ſuſcepit.*

Idem *Epiſcopo & Archiepiſcopo Vincentino.*

PErlatum *a* eſt ad audientiam noſtram, quòd quum H. ad partes Conſtantinop. tranſiſſet, & ibi moram per decennium & amplius faciens, ad J. uxorem ſuam non rediens *b*, ipſa apud bonæ me. Vincentinum Epiſcopum adverſus eum querelam depoſuit, & quòd eum non poſſet diutius expectare, nihilominus allegavit. Epiſcopus verò ſicut vir providus & diſcretus parentibus viri mandavit, ut pro eo mitterent, & ipſum ad propria revocarent. Cumque elapſo longi temporis ſpacio *c* vir non remearet ad propria, Epiſcopus in conſpectu eccleſiæ auditis rationibus mulieris, inter eos ſententiam divortii promulgavit, & mulieri, ut alium duceret, facultatem indulſit. Ideoque mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quòd Epiſcopus inter eos ſententiam divortii tulerit, filios, quos ſuſtulit de alio, ad cujus copulam auctoritate prædicti Epiſcopi migravit, legitimos judicetis, eos hac occaſione ab hæreditate non patientes excludi.

## CAP. IX.

*Filii nati ex matrimonio clandeſtino per eccleſiam approbato, ſunt legitimi. h. d. inhærendo literæ.*

Idem *Beluacen. Epiſcopo.*

QVod *d* nobis : & infrà. Si qui autem de clandeſtino matrimonio poſtmodum ab eccleſia comprobato generati fuerint, eos legitimos judices filios & hæredes.

## CAP. X.

*Nati ex matrimonio contracto contra publicæ honeſtatis juſtitiam illegitimi ſunt, & ab hæreditate parentum excludendi : & teneamenti hunc caſum, quia ſæpe per ignorantiam accedit.*

Cœleſtinus III. *Eboracen. Archiepiſcopo.*

REferente *e* nobis : & infrà. Fra. t. t. reſpon. quòd publicæ honeſtatis juſtitia prohibente matrimonium inter eos contrahi non potuit, & contractum debuit ſeparari : ac per hoc cùm filii, nec per eccleſiæ permiſſionem nec per paternam ignorantiam excuſentur, ad ſucceſſionem bonorum paternorum non videntur aliquatenus admittendi.

## CAP. XI.

*Ad docendum prolem illegitimam, non ſufficit probare impedimentum matrimonii, ſi fuit in facie eccleſiæ contractum.*

Idem.

PErvenit *f* ſanè ad nos ex inſinuatione L. viduæ, quòd cùm inter G. patrem ſuum, & A. matrem illius matrimonium fuiſſet legitimè celebratum, & quandiu vixerunt, quietè permanſerunt *g* : poſt illorum deceſſum quidam aſſerentes eam de non legitimo matrimonio fuiſſe ſuſceptam, à paterna hæreditate tanquam illegitimam, amovere conantur : Mandamus

---

a *Ca. 5. eod. tit. in 1. comp. Et quatenus ex hoc c. colligitur, quòd quæſtio ſpiritualis remittenda eſt ad judicem eccleſiaſticum, ſi incidat coram judice ſeculari. vide Bart. & Alex. in l. Titia. ff. ſolut. matrim.* b *Ca. 6. eod. tit. in 1. comp.* c *vide l. bonorum. per Bar. ff. rem. rat. hab. & l. pen. §. uxor. ff. ſolut. matrim.* d *C. 7. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 33. c. 4.*

a *C. 8. eod. tit. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 50. c. 23.* b *rediret.* c *Adde quod dicatur eſſe longum temporis ſpatium, Inſt. de uſucap. §. 1. & l. fin. C. de præſc. long. temp.* d *Ca. 3. tit. de clandeſt. deſponſ. in 1. comp. & poſt conc. Lat. p. 50. c. 17. vide citata in c. cum inhibitio. ſupr. de clandeſt. deſponſ.* e *C. 1. eod. tit. in 2. comp.* f *C. 2. eod. tit. in 2. comp.* g *permanſerint.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

itaque, quatenus ſi eſt ita, dictam viduam legitimam nuncietis.

### CAP. XII.

*Statur dicto teſtium, qui probant aliquem legitimum, licet fama vicinia & tractatus parentum habeat contrarium.*

Innocentius III.

PEr tuas *a* literas intimaſti, quòd R. ex muliere, quam ſecundùm opinionem majoris partis viciniæ in concubinam habebat, prole ſuſcepta, quandam poſt & aliam ea defuncta duxit in uxorem: & ea, de qua prolem ſuſceperat, virum ſibi alium copulavit: proceſſu verò temporis idem R. in præſentia multorum firmavit proprio juramento, quòd eam quam habere viſus fuerat concubinam, priùs adfidaverat in uxorem, quàm ex ea filium genuiſſet: & poſtea cùm *b* ageret in extremis, eum quem ex ea ſuſceperat, in teſtamento hæredem inſtituens, legitimum filium appellavit *c*. Cùm autem tuæ inquiſitioni fuiſſet commiſſum, an filius ſic ſuſceptus, legitimus eſſet hæres ipſius R. & ad ejus patrimonium admittendus, tu præter id, quòd ex quadam decretali bonæ memo. Alex. Papæ prædeceſſ. no. ſtandum eſſe ſuper hoc verbo viri & mulieris credebas: receptis teſtibus à filio ejusdem R. productis, quibus legitimè comprobavit prædictum R. matrem ſuam in capella ſancti Sergii adfidaſſe, eum ipſius R. hæredem eſſe legitimum judicaſti. Nos autem attendentes, quòd plus eſt, quod in veritate agitur, quàm quod ſimulatè concipitur: licet dictus R. cùm ea dimiſſa, quam ut concubinam habuerat, ad alia vota tranſiverit *d*, videatur ipſo facto matrimonium, quod inter eos celebratum fuerat, denegaſſe: quia tamen deſponſatio per teſtes legitimos comprobata, eos matrimonialiter fuiſſe conjunctos oſtendit: ſive deſponſatio ipſa fuerit de præſenti, aut per conſenſum legitimum per verba de præſenti expreſſum, copula matrimonii inter eos fuerit celebrata: ſive per verba de futuro, carnali copula ſubſecuta: non tam decretali dicti prædec. no. quæ in caſu diſſimili loquitur, quàm inductis probationibus innitentes, te proceſſiſſe legitimè reſpondemus, ſententiam tuam auctoritate Apoſtolica confirmantes.

### CAP. XIII.

*In terris eccleſiæ Papa poteſt liberè illegitimos legitimare, in terris verò alienis nõ niſi ex cauſis multùm arduis, vel niſi in ſpiritualibus: tunc tamen indirectè & per quandam conſequentiam intelligitur legitimare etiam quoad temporalia: hoc tamen ultimum non eſt ſine ſcrupulo. h. d. ſecundùm intellectum, qui placet Pann. & eſt c. difficile, & multùm famoſum.*

Idem *nobili viro Gu. montis Peſſulani.*

PEr *e* venerabilem fratrem noſtrum Arelaten. Archiepiſcopum tua nobis humilitas ſupplicavit, ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis, quo minus tibi ſuccederent, natalium objectio non noceret. Quòd autem ſuper hoc Apoſtolica ſedes plenam habeat poteſtatem, ex illo videtur, quòd diverſis cauſis inſpectis, cum quibusdam minus legitimè genitis, non naturalibus *f* tantùm, ſed adulterinis etiam diſpenſavit, ſic ad actus ſpirituales illos legitimans, ut poſſint in Epiſcopos promoveri: ex quo veriſimilius creditur, & probabilius reputatur, ut eos ad actus legitimare valeat ſeculares, præſertim ſi præter Romanos Pontifices inter homines ſuperiorem alium non cognoſcant, qui legitimandi habeat poteſtatem: quia cùm major in ſpiritualibus tam providentia, quàm auctoritas & idoneitas requiratur: quod in majori conceditur, licitum eſſe videtur & *a* in minori. Per ſimile quoque id videtur poſſe probari, cùm eo ipſo, quòd aliquis ad apicem epiſcopalis dignitatis attollitur, eximitur à patria poteſtate. Præterea enim ſi ſimplex Epiſcopus ſcienter ſervum alterius in Presbyterum ordinaret, licet ordinator ſatisfacere domino teneretur, ordinatus tamen jugum evaderet ſervitutis. Videretur *b* ſiquidem monſtroſum, ut qui legitimus ad ſpirituales fieret actiones, circa ſeculares actus illegitimus remaneret: unde quum in ſpiritualibus diſpenſetur *c*, conſequenter intelligitur in temporalibus diſpenſatum. Id autem in patrimonio beati Petri liberè poteſt Apoſt. ſed. efficere, in quo & ſummi Pontificis auctoritatem exercet, & ſummi principis exequitur poteſtatem. Videbatur autem ex eo trahere majorem audaciam poſtulandi, quòd cùm Rex Francorum I. Reginam dimiſerit, & ex alia poſtmodum ſuperducta puerum ſuſcepit & puellam, & tu ſimiliter, excluſa legitima, ſuperduxeris aliam, ex qua filios ſuſcepiſti: ſicut cum filiis regis ejusdem, ſic cum tuis credebatur de benignitate Apoſtol. ſed. diſpenſandum. Verùm ſi veritas diligenter inſpicitur, non res ſimilis, ſed valde diſſimilis invenitur: nam Rex ipſe à Regina per Remen. Archiepiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum fuit per ſententiam ſeparatus, tu verò uxorem tuam à te temeritate propria ſeparaſti. Ipſe quoque priusquam ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera perveniſſet, aliam ſuperduxit, ex qua prolem geminam noſcitur ſuſcepiſſe: ſed tu in contemptum eccleſiæ, aliam ſuperinducere attentaſti. Præterea Rex ipſe contra matrimonium impedimentum affinitatis objecit, & coram præfato Archiepiſcopo teſtes induxit: cujus ſententia, quia caſſata fuit ſolummodo propter judiciarium ordinem non ſervatum, nos poſt reſtitutionem Reginæ alios cognitores duximus deputandos: tu verò uxori tuæ nihil quod divortium induceret objeciſti: cùm etſi fides tori ſit unum de tribus bonis conjugii, non tamen ipſius violatio conjugale vinculum violaſſet. De filiis ergo ejusdem Regis, utrum legitimi vel illegitimi fuerint, quamdiu pendet quæſtio adfinitatis objectæ, poteſt non immeritò dubitari. Nam ſi adfinitas fuerit comprobata, prædictam Reginam non eſſe Regis conjugem apparebit: & per conſequens alia videbitur ſibi legitimè copulata, & filios legitimos peperiſſe. Inſuper cùm Rex ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, ſine juris alterius læſione in eo ſe jurisdictioni noſtræ ſubjicere potuit, & quo videretur aliquibus, quòd per ſeipſum (non tanquam Pater cum filiis, ſed tanquam Princeps cum ſubditis *d*) potuit diſpenſare: tu autem noſceris aliis ſubjacere. [ 1 & 2. ] Rationibus igitur his inducti, Regi gratiam fecimus requiſiti, cauſam tam ex veteri, quàm ex novo teſtamento tradentes, quòd non ſolùm in eccleſiæ patrimonio (ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem) verumetiam in aliis regionibus, certis cauſis inſpectis, temporalem jurisdictionem caſualiter exercemus, non quòd alieno juri præjudicare velimus, ſed quia ſicut in Deuteronomio *e* continetur: Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicium inter portas videris variari, veniens ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem

a *C. 1. eod. tit. in 3. compil.* b *dum.* c *vide Pannorm. cap. fin. de mut. petit. & Iaſ. in l. neq; profeſſio. C. de teſtamentis.* d *tranſivit.* e *C. 2. eod. tit. in 3. comp. vide Covarr. ep. 4. Decr. p. 2. c. 8. §. 8.* f *Qui dicantur filii naturales, adulterini, ſpurii & alii illegitimè nati quovis nomine appellentur, vide Card. Paleotum l. de not. & ſpur. filiis.*

a *al. etiam in minori.* b *Videtur.* c *diſpenſatur.* d *ſubjectis.* e *Deuteron. 17. Hæc Deut. auctoritas prætenditur uſq; ad illa verba: Sanè cum Deut. in ea imprimenda ſecuti ſumus antiqua & magis emendata Greg. exemplaria: quantum ad verba tantiſper differt à vulgata editione, ſed eadem eſt ſententia.*

qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui fuerit illo tempore: qui judicabunt tibi judicii veritatem: & facies quæcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus: ſequerisque eorum ſententiam: qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: decreto judicis morietur. Sanè cùm Deuteronomium, lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in Novo Teſtamento debeat obſervari: locus enim quem elegit Dominus, Apoſtolica ſedes eſſe cognoſcitur: cùm enim Petrus urbem fugiens exiviſſet, volens eum Dominus ad locum, quem elegerat revocare, interrogatus ab eo, Domine, quò vadis? reſpondit, venio Romam iterum crucifigi: quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reverſus. Sunt autem ſacerdotes Levitici generis fratres noſtri, qui nobis jure Levitico in executione ſacerdotalis officii coadjutores exiſtunt. Is verò ſuper eos ſacerdos ſive judex exiſtit, cui Dominus, inquit, in Petro *a*: Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Ejus vicarius, qui eſt ſacerdos in æternum ſecundùm * ordinem Melchiſedech, conſtitutus à Deo judex vivorum & mortuorum. Tria quippe diſtinguit judicia. Primum inter ſanguinem, & ſanguinem, per quod criminale intelligitur & civile. Vltimum inter lepram & lepram, per quod eccleſiaſticum & criminale notatur. Medium inter cauſam & cauſam, quod ad utrunque refertur, tam eccleſiaſticum, quàm civile: in quibus cùm aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad judicium eſt ſedis Apoſtolicæ recurrendum, cujus ſententiam, qui ſuperbiens contempſerit, obſervare, mori præcipitur, id eſt, per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam ut plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinth. *b* ſcribens ait: Neſcitis quoniam Angelos judicabitis, quantò magis ſecularia? Licet igitur cum filiis *c* ſæpedicti Regis (de quibus, an fuerint legitimi ab initio dubitatur) duxerimus diſpenſandum: quia tamen tam lex Moſaica, quàm canonica ſobolem ſuſceptam ex adulterio deteſtatur *d*, teſtante Domino, quòd manzeres *e* & ſpurii uſque ad decimam generationem in eccleſiam non intrabunt: canone verò vetante tales ad ſacros ordines promoveri: ſecularibus quoq; legibus non ſolùm repellentibus eos à ſucceſſione paterna, ſed negantibus ipſis etiam alimenta: petitioni tuæ non duximus adnuendum.

[ 1 *Vnde ſine ipſorum forſan injuria, niſi præſtarent nobis aſſenſus, in hoc ſubdere te non poſſes, nec ejus auctoritatis exiſtis, ut diſpenſandi ſuper his liberam habeas facultatem.*]

## CAP. XIV.

*Si conjugatus vivente prima in facie eccleſiæ contrahit cum ſecunda hoc ignorante, legitima erit eorum proles.*

Idem *H. & R. canonicis Beneventanis.*

EX tenore *f* literarum veſtrarum nobis innotuit, quòd cùm G. vidua hæreditatem quondam R. mariti ſui ſibi & pupillo filio ſuo reſtitui poſtularet, pars adverſa petitionem ejus nitebatur excludere, pro eo quòd R. maritum ipſius viduæ de adulterio genitum adſerebat: [ 1 & ſ.] Intelligentes, quòd pater prædicti R. matrem ipſius in faciem eccleſiæ ignaram, quòd ipſe aliam ſibi matrimonialiter copulaſſet, duxerit in uxorem, & dum ipſa conjunx ipſius legitima putaretur, dictum R. ſuſcepit ex eadem: in favorem prolis potius declinamus, memoratum R. legitimum reputantes.

[ 1 *Proponens quòd dicti R. pater vivente uxore legitimâ quandam aliam Maritiam nomine ſuperduxit, ex qua præfatum R. maritum ipſius viduæ generavit. Econtra verò pars viduæ reſpondebat, quòd cùm Maritia præfata neſciens, quòd dicti R. pater aliam haberet uxorem, cum eo in facie eccleſiæ contraxiſſet, ejus filius, quem ſuſcepit ab eo, legitimus debebat habere: cùm non debeant illegitimi reputari, qui de adultera conſcientia non naſcuntur. Cumque ſuper hoc diutius fuiſſet in veſtra præſentia litigatum, & nonnullorum prudentum ſententia, quorum conſilium requiſiſtis, in hoc invicem diſcordaret, ſe. duxiſtis Ap. conſulendam. Nos igitur.*]

## CAP. XV.

*Proles infidelium, qui poſtea convertuntur, legitima eſt, etiam ſi parentes ſunt in gradu prohibito lege canonica.*

Idem *Epiſcopo Tibur.* a

GAudemus *b*: *& infrà.* Cæterùm prolem de infidelium conjunctionibus natam, qui ſecundo, tertio, vel ulteriore gradu, ſecundùm opinionem illorum *c* matrimoniali contraxerunt affectu, poſt fidem receptam (utilitate publica ſuadente) legitimam volumus reputari.

# QVI MATRIMONIVM *d* ACCVSARE poſſunt, vel contra illud teſtari.

## TITVLVS XVIII.

## CAP. I.

*Cùm agitur de fœdere matrimonii, reo abſente contumaciter poſſunt ſuper impedimento matrimonii recipi teſtes, dummodo ſint legitimi: & ad dicta eorum fertur ſententia.*

Alexander III. *Pariſienſi* e *Epiſcopo.*

RElatum *f* eſt, quòd cùm pater cujuſdam puellæ eam cuidam civi Pariſienſi *g* nuptui tradidiſſet, maritus poſt aliquot annos quibus cum uxore permanſit, propter homicidium, quod commiſit, de civitate timore mortis exivit: nunc autem dicitur poſſe probari, quòd pater puellæ eum de ſacro fonte *h* levavit: ſed literis tuis quæſitus nondum potuit inveniri, licet quinquennium ſit tranſactum: *& infrà.* Cæterùm conſultationi tuæ taliter reſpond. [*quòd ſi juvenis & puella aliquot annis ſine quæſtione fuerunt ſimul, qui præſcriptum matrimonium nunc accuſant, non videntur ſuſpicione carere.*] quòd ſi manifeſtum eſt, quod aſſeritur, aut legitimi accuſatores & teſtes appareant: poſtquam juvenis fuerit cum omni diligentia requiſitus, etiam ſi nequiverit inveniri, teſtes recipere poteris, & ſine canonico judicium terminare.

## CAP. II.

*Accuſatio & teſtimonium in cauſa matrimoniali perſonaliter & non per literas fieri debent.*

Clemens III.

A Nobis *i* eſt quæſitum, utrum aliqui ſuper accuſatione matrimonii nihil voce propria *k* depromentes, debeant per ſolam chartulæ conſcriptionem admitti. Ad hoc reſpondemus, quòd in talibus, niſi quantum ad præſumptionem, nullius momenti eſt conſcriptio, quoad ſententiam proferendam, niſi alia legitima adminicula ſuffragentur.

## CAP. III.

*In cauſa matrimoniali ſuper conſanguinitate & contractu teſtificari poſſunt conſanguinei & parentes.*

---

a *Matth. 16.* * *Pſal. 109. Act. 20.* b *1. Corin. 6.* c *præfati.* d *Deut. 23.* e *Manzeres qui dicantur, tradit Covarruvias lib. 4. decr. part. 2. ca. 18. §. 5.* f *Ca. 3. eod. tit. in 3. compil. vid. Bald. in l. qui contra. Cod. de inceſt. nuptiis.*

a *Tyb. al. Tibu. al. Tybertur.* b *Cap. 4. eod. tit. in 2. compil.* c *eorum.* d *alit. ita: de his qui matrimonium, &c. al. deſunt illa verba, vel contra illud teſtificari.* e *Parmenſ. al. Patrinenſ.* f *Ca. 1. eod. tit. in 1. compil.* g *Parmenſi.* h *vid. Concil. Tridentin. Seſſ. 24. de reformat. matr. c. 2.* i *C. 4. eod. tit. in 1. comp.* k *deponentes.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clemens *a* III. *Papa Florentino Epiſcopo.*

VIdetur *b* nobis: [ 1 *& infrà.* ] Quòd parentes, fratres, & cognati utriuſque ſexus, in teſtificatione ſuorum ad matrimonium conjũgendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua conſuetudine, quàm legibus approbatur. Ideò enim maximè parentes, & ſi defuerint parentes proximiore, admittuntur: quoniam unusquiſque ſuam genealogiam cum teſtibus & chartis, tum etiam ex recitatione majorum ſcire laborat; qui enim melius recipi debent, quàm illi, qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe: ita ut ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, ſecundùm leges nullum fiat matrimonium? Quòd verò legitur *c* pater non recipiatur in cauſa filii, nec filius in cauſa patris, in criminalibus cauſis & contractibus verum eſt. In matrimonio verò conjungendo & disjungendo ex ipſius conjugii prærogativa, & quia favorabilis res eſt, congruè admittuntur.

[ 1 *Quòd ſecunda quam contra prohibitionem eccleſiæ duxit, non ſit uxor, etiam ſi primam non haberet deſponſatam. Nam quod contra interdictum & ordinem eccleſiæ factum eſt, ratum non haberi tanquam inordinatum, tam divina quàm humana legis auctoritas proclamat. Quia igitur ea quam inordinatè ſuperduxit prohibitione renitente uxor non eſt, cogendus eſt eam recipere, quam juravit & deſponſavit, atque ex ea prolem genuit: ut juramenti religio non vilipendatur, & fides adinvicem conſervetur promiſſa, & proles in cultu Dei nutriatur & educetur, & alii exinde occaſionem pejerandi, & alias decipiendi, aſſumere non valeant.* ]

CAP. IV.

*Invita deſponſata, poſtea ſponte cognita, contra matrimonium auditur.*

Idem.

INſuper *d* adjeciſti, quòd aliquis cum quadam innubili puella contraxit: quæ tandem ætatis metas attingens, ab illo pluries cognita, contra matrimonium proclamavit, aſſerens ſe ſemper ab initio diſſenſiſſe, quod per teſtes probat fama & converſatione præclaros. In hoc itaque caſu ſentimus, quòd adverſus matrimonium audiri non debet, quæ ante cognitionem ſui legitimum annum attingens, cùm potuit, minimè reclamavit, ſicut enim ante legitimum conſenſum (qui in duodecimo anno ſpectatur) potuit diſſentire, ſic poſtquam legitimo tempore accedente ſemel etiam copulæ carnali conſenſit, ex ratihabitione ſibi ſuper hoc ſilentium non ambigitur indixiſſe *e.*

CAP. V.

*Repellitur accuſans matrimonium propter quæſtum.*

Innocentius III. *Archiepiſcopo, Præpoſito & Priori ſanctæ Mariæ de Alban.*

*Genuen.* f

SIgnificante *g* M. de Canula *h* noſtro eſt Apoſtolatui declaratum, quòd cùm N. duxiſſet legitimè in uxorem, S. mater ipſius niſa eſt matrimonium accuſare, ut ab eo pecuniam extorqueret: & licet intellectui ſuo prava non poſſint opera reſpondere, nihilominus vult habere pecuniam, ut ab accuſatione deſiſtat.

Cùm igitur non ſit malitiis hominum indulgendum: mandamus, quatenus ſi eſt ita, ipſam ab accuſatione matrimonii repellentes, eidem ſuper hoc ſilentium imponatis.

CAP. VI.

*Repellitur ab accuſatione matrimonii, qui denunciationis tempore tacuit, niſi denunciationem probabiliter ignoravit, vel juret de novo didiciſſe, & quòd non objecit illam malitioſè.*

Idem.

CVm *a* in tua diœceſi: *& infrà.* Si verò poſt contractum matrimonium aliquis appareat accuſator, cùm non prodierit in publicum, quando banna ſecundùm conſuetudinem in eccleſiis edebantur, utrum vox ſuæ debeat accuſationis admitti, meritò quæri poteſt. Super quo ſic duximus diſtinguendum, quòd ſi tempore denunciationis præmiſſæ is, qui jam conjunctos impetit, extra diœceſim exiſtebat, vel aliàs denunciatio non potuit ad ejus notitiam pervenire, utputa ſi nimiæ infirmitatis fervore laborans, ſanæ mentis patiebatur exilium: vel in annis tam teneris conſtitutus, quòd ad comprehenſionem talium, ejus ætas ſufficere non valebat, ſeu alia cauſa legitima fuerit impeditus: ejus accuſatio debet audiri. Alioquin cùm rationabiliter præſumatur, quòd denunciationem publicè factam idem eſſet in ipſa diœceſ. minimè ignoravit, tanquam ſuſpectus eſt proculdubio repellendus. Niſi proprio firmaverit juramento, quòd poſtea didicerit ea, quæ objecerit, & *b* ad hoc ex malitia non *c* procedat: quia tunc etiam ſi didiciſſet ab illis, qui denunciationis tempore ſiluerunt, claudi non debet eidem aditus accuſandi: quoniam etſi ab impetitione hujuſmodi culpa de ſilentio tali contracta illos excluderet, iſte tamen amoveri [illegible] ret, cùm culpabilis non exiſtat.

## DE DIVORTIIS. *d*

### *TITVLVS XIX.*

CAP. I.

*Homicidium neceſſarium non privat ſpe conjugii, ſed machinatio in mortem conjugis ſic.*

Ex Concilio apud VVormaciam *e.*

SI qua mulier *f* in mortem mariti ſui cum aliis conſiliata eſt, & ipſe aliquem illorum ſe defendendo occiderit: poteſt ipſe poſt mortem uxoris, ſi voluerit aliam ducere: ipſa autem inſidiatrix pœnitentiæ [illegible] que ſpe conjugii ſtet ſubjecta.

CAP. II.

*Conjuges propter alterius crimen non ſeparantur, niſi ſimul [illegible] fornicentur: & tunc durat conjugium eis etiam ſeparatis.*

Alexander III.

QVæſivit *g* à nobis: [ 1 *& infrà.* ] Nos itaque [illegible] ter reſpondemus, quòd mulier pro furto vel alio crimine viri ſui (niſi fidei ſuæ religionem corrumpere vellit) ab eo ſeparari non debet. Verùm ſi conjugem ſuam ad infidelitatis maleficium traxerit, à viro poterit ſeparari, ita quòd ei nubere alii non licebit: quia licet ſeparentur, ſemper tamen conjuges erunt. In viris quoque præſentis ſententiæ forma ſervetur.

[ 1 *Utrum mulier pro latrocinio aut quolibet alio crimine a viro ſuo debeat ſeparari, & alii nubere, & de viro ſimili modo [illegible] ſuiſti, & utrum pro quolibet flagitio poſſit à conjuge dividi, & aliam ſibi legitimè matrimonio copulare.* ]

CAP. III.

*Vir non poteſt dimittere uxorem ſine judicio eccleſiæ, etiam pro-*

a *al. Clemens Papa Florentino Epiſcopo. al. Cæleſtinus Papa Florentino Epiſc. al. Cæleſtinus III. &c.* b *Cap. 1. tit. de matr. contr. interd. eccleſ. celebr. in 1. comp. refert Grat. ſive Palea 35. q. 6. c. 2.* c *Vid. Lanfranc. de Oriano in cap. quoniam contra ſup. de proba. & Specul. tit. de teſte. § 1.* d *Ca. 3. eod. tit. in 3. comp.* e *induxiſſe.* f *de Alban. Ianuan.* g *C. 2. eod. tit. in 3. comp.* h *Canulla. al. Camilla. al. Caſula.*

a *Cap. 1. eod. tit. in 4. compilat. alia pars hujus decr. ſupr. de ſponſal. c. cum in tua.* b *al. ita: & quod ad hoc.* c *procedat.* d *De materia hujus tit. vid. Theologos lib. 4. Senten. diſt. 35. & per Sylveſtrum in ſumma verbo, divortium.* e *VVarmaciam. al. Vermecias.* f *Ca. 1. eod. tit. in 1. compil.* g *Ca. 2. eod. tit. in 1. compil. & poſt Conc. ſub Alex. III. p. 50. c. 22. §. quod autem. vid. Sotum 4. Sent. diſt. 37. q. 1.*

pro

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*pter impedimentum parentelæ notorium. Si fama refert impedimentum conjugii, etiam nemine opponente, Epiſcopus ex officio ſuo poteſt de eo inquirere. Si verò impedimentum eſt notorium, poteſt Epiſcopus ex officio ſuo matrimonium ſeparare. hoc ſecundò.*

Idem *Ambianen.* a *Epiſcopo.*

PORrò *b* de Comite Pontini, qui B. uxorem ſuam abſque judicio eccleſiæ dimiſit, quia eam cognatam fuiſſe uxoris defunctæ proponit, prudentia tua cognoſcat, quòd ſi etiam parentela eſſet publica & notoria, abſque judicio eccleſiæ ab ea ſeparari non potuit: quare ipſum ad eam recipiendam, quæ petit reſtitutionem ipſius, diſtrictè compellas, quam ſi recipere noluerit, eum & ſuperinductam vinculo excommunicationis adſtringas. Præterea de H. qui cognatam ſuam duxit uxorem, reſpondemus, quòd non apparentibus accuſatoribus, & parentela manifeſta ſeu publica exiſtente (quod credibile non eſt, niſi eſſent in primo gradu vel ſecundo) tui officii intereſt matrimonia illa adhibita gravitate diſſolvere, quæ illicita contracta noſcuntur.

## CAP. IV.

*Repellitur uxor petens reſtitutionem mariti, ſi notoriè fornicata eſt, & maritus continuit.*

Idem.

SIgnificaſti *c*, quòd quidam uxore ſua ſine judicio eccleſiæ dimiſſa, pro eo, quòd ſuggeſtum ſibi fuerat ipſam inceſtum cum quodam conſanguineo ſuo commiſiſſe, vinculo fuit propter hoc excommunicationis adſtrictus: verùm mulier non continuit, ſed ſobolem de alio viro ſuſcepit: nec minus poſtulat viro reſtitui, adſerens ſe ab iſto injuſtè dimiſſam, & eundem ſibi materiam adulterandi dediſſe. Conſult. t.t. reſpond. quod ſi notorium eſt mulierem ipſam adulterium commiſiſſe, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, niſi conſtaret ipſum cum alia adulterium commiſiſſe.

## CAP. V.

*Matrimonium ſeparatur propter adulterium mulieris: & ſi vir poſtea fornicetur, redintegratur. Et eſt bonus caſus, & multum allegabilis.*

Idem.

EX literis *d* tuis accepimus, quòd V. quandam duxit uxorem, qui paucis temporibus fuère concordes: proponebat enim idem V. quod illam per violentiam ſibi illatam metu etiam mediante duxiſſet: [ 1 & ſ. ] Tandem vir uxorem ſuam ſuper crimine fornicationis in jure convenit, quæ neſcitur quo ducta ſpiritu cœpit publicè confiteri: quòd cùm vir negaret ei in neceſſariis providere, crimen compulſa eſt incurrere memoratum: cumq; diligentius à te fuiſſet admonita, ne ad ſuggeſtionem alicujus illud tam turpe contra ſe proponeret, ipſa id manifeſtius adſerebat. Sanè tu convocato capitulo tuo, cùm ex eorundem *e* conſilio utrique privatim continentiam injunxerit obſervandam, ita quòd caſtè viverent ab invicem ſegregati: memoratus V. furtim cum alia ſponſalia & nuptias temerè celebravit: verùm cùm factum inquirere laborares, ſupradictus V. ſeriem rei explicans & exponens, ad audientiam noſtram dicitur appellaſſe. Vnde frat. t. mand. quatenus, ſi res ita proceſſit, prætaxatum virum ad legitimam uxorem redire compellas.

[ 1 *Tu verò una cum capitulo tuo cum tam minis quàm admonitionibus inter eos ſæpè pacem confirmare ſtuderes, eos temerè ſegregatos pariter reconciliari coëgiſſes.*]

## CAP. VI.

*Si uxor à viro lapſo in hæreſim propria auctoritate divertit, ad eum reverſum redire compellitur, ſecus ſi per judicium eccleſiæ ab eo fuiſſet ſeparata.*

Vrbanus III. *Florentino Epiſcopo.*

DE illa *a*, quæ viro ſuo labente in hæreſim, ipſius conſortium ſine judicio eccleſiæ declinavit, videtur nobis, quòd mulier (maximè ſi ea intentione deceſſit, ut lapſus in hæreſim tædio pariter & confuſione affectus ſe ab errore ſuo converteret) cum reverſus fuerit, eſt reddenda: quæ etiam ſi reverti noluerit, compellatur. Si verò judicio eccleſiæ ab eo receſſit, ad recipiendum eam nullatenus dicimus compellendam.

## CAP. VII.

*Vinculum conjugale non diſſolvitur altero conjugum fidelium in hæreſim lapſo. Sed ſi unus infidelium conjugum convertatur ad fidem, & alter nolit ſibi cohabitare, vel non ſine blaſphemia, vel ſine peccato mortali, ſolvitur conjugium, & converſus contrahere poterit.*

Innocentius III. *Ferrarien. Epiſcopo.*

QVanto te *b* novimus in canonico jure peritum: [ 1 *& infra.* ] Sane tua F. intimavit, quòd altero conjugum ad hæreſim tranſeunte, qui relinquitur ad ſecunda vota deſiderat convolare: quod utrum poſſit fieri, per tuas nos duxiſti literas conſulendos. Nos igitur conſul. t. reſpondentes diſtinguimus, licet quidam prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæreſim, vel decidat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur, ad ſecunda ſi voluerit, vota tranſibit: & in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus: Si infidelis diſcedit, diſcedat: frater enim & ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi. Et canonem etiam in quo dicitur *c*: Contumelia creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. Si verò alter fidelium conjugum vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad gentilitatis errorem, non *d* credimus, quòd in hoc caſu, is, qui relinquitur, vivente altero poſſit ad ſecundas nuptias convolare, licet in hoc caſu major appareat contumelia creatoris. Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem *e* verum & ratum exiſtit: quia ſacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii ſacramentum, ut ipſum in conjugibus illo durante perduret. Nec obſtat, quod à quibuſdam forſan objicitur, quòd fidelis relictus non debeat jure ſuo ſine culpa privari: cùm in multis caſibus hoc contingat, ut ſi alter conjugum incidatur. Per hanc reſponſionem quorundam malitiæ obviatur, qui in odio conjugum, vel quando ſibi invicem diſplicerent, ſi eas poſſent in tali caſu dimittere, ſimularent hæreſim, ut ab ipſa (nubentibus conjugibus) reſilirent. Per hanc ipſam reſponſionem illa ſolvitur quæſtio, quâ quæritur, utrum ad eum, qui ab hæreſi vel infidelitate revertitur, is, qui permanſit in fide, redire cogatur.

[ 1 *Tanto f. t. amplius in Domino commendamus, quòd in dubiis quæſtionum articulis ad ſed. Apoſtol. recurris: quæ diſponente Domino cunctorum fidelium mater eſt & Magiſtra, ut opinio quam in eis quondam habueras, dum alios canonici juris peritiam edoceres, vel corrigatur per ſed. Apoſtol. vel probetur.*]

## CAP. VIII.

*Pagani juncti in gradu prohibito lege canonica tantùm, converſi ad fidem, non ſeparantur. hoc primò. Si paganus prius plures uxores habebat, poſt fidem ſuſceptam adhærebit primæ. hoc ſecundò. Et ſi repudiata uxore cum ſecunda contraxerit, etiam poſt baptiſmum*

---

a *al. Ambien.* b *C.3. eod. tit. in 1. comp. & poſt Concil. Lateran. ſub Alexand. III. par. 50. c. 29.* c *C.4. eod. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Later. par. 6. cap. 14.* d *Cap. 3. de cland. deſponſ. in 2. compil.* e *eorum.*

a *Cap. 5. eod. tit. in 1. compil.* b *Cap. 1. eod. tit. in 3. compil.* c *Hoc dicit B. Ambroſius epiſt. 1. ad Corin. 7.* d *Vid. Concil. Trid. Seſſ. 24. de ſacr. matr. can. 5.* e *In uno aut altero C. ratum & firmum exiſtit.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*dimittet ſecundam, & adhærebit primæ repudiata, etiam ſi repudiata cum alio contraxiſſet: ſi fornicata fuiſſet. hoc tertiò.*

Idem *Tiberiaden.* a *Epiſcopo.*

GAudemus *b* in Domino: [ 1 *& infrà.* ] Vtrum pagani uxores accipientes in ſecundo vel tertio, vel ulteriore gradu ſibi conjunctas, ſic conjuncti debeant poſt converſionem ſuam inſimul remanere, vel ab invicem ſeparari, edoceri per ſcriptum Apoſtolicum poſtulaſti. Super quo taliter reſpondemus, quòd cùm ſacramentum conjugii apud fideles & infideles exiſtat, quemadmodum oſtendit Apoſtolus *c* dicens: Si quis frater infidelem habet uxorem, & hæc conſentit habitare cum eo, non illam dimittat: & in præmiſſis gradibus à paganis quoad eos matrimonium licitè ſit contractum, qui conſtitutionibus canonicis non arctantur: (quid enim ad nos, ſecundùm Apoſtolum *d* eundem, de his quæ foris ſunt, judicare?) in favorem præſertim Chriſtianæ religionis & fidei, à cujus perceptione per uxores ſe deſeri timentes viri, poſſunt facilè revocari: fideles hujuſmodi matrimonialiter copulari liberè poſſunt, & licitè remanere conjunctim, cùm per ſacramentum baptiſmi non ſolvantur conjugia, ſed crimina dimittantur. Quia verò pagani circa plures inſimul fœminas adfectum dividunt conjugalem, utrum poſt converſionem omnes, vel quam ex omnibus retinere valeant, non immeritò dubitatur: [ 2 *& infrà.* ] Verùm abſonum hoc videtur, & inimicum fidei Chriſtianæ, quum ab initio una coſta in unam fœminam ſit converſa *e*: & ſcriptura divina teſtetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: non dixit tres vel plures: ſed duo: nec dixit, adhærebit uxoribus: ſed uxori: [ 3 *& infrà.* ] Nec ulli unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum, quæ mos quandoque, interdum etiam fas cenſetur: per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraëlitæ à furto, & Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & alii viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur. Sanè veridica hęc ſententia probatur etiam de teſtimonio veritatis teſtantis in Evangelio *f*: Quicunque dimiſerit uxorem ſuam ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Si ergo uxore dimiſſa, ducialia de jure non poteſt, fortius & ipſa retenta: per quod evidenter apparet pluralitatem in utroque ſexu, cùm non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam. Qui autem ſecundùm ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem, cùm tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente licitè poterit aliam etiam ad fidem Chriſti converſus habere, niſi poſt converſionem ipſius, illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiam ſi conſentiat, non tamen abſque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo caſu reſtitutionem petenti, quamvis de injuſta ſpoliatione conſtaret, reſtitutio negaretur: quia ſecundùm Apoſtolum *g* frater aut ſoror non eſt hujuſmodi ſubjectus ſervituti. Quòd ſi converſum ad fidem, & illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. Quamvis quoque ſecundùm Evangelicam veritatem, qui duxerit dimiſſam, mœchatur: non tamen dimiſſor poterit objicere fornicationem dimiſſæ, pro eo, quòd nupſit alii poſt repudium, niſi aliàs fuerit fornicata.

[ 1 *Et in potentia virtutis ipſius, & patri luminum, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum, uberes gratiarum exſolvimus actiones: quòd ſicut nobis tuis literis intimaſti dieb. iſtis noviſſimis, ille qui non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, ut ad Chriſtianam venirent fidem, multorum cordibus inſpiravit, & quoniam uxores acceperant in ſecundo vel tertio, vel ulteriori gradu ſibi conjunctas.* ]

[ 2 *Quia verò tam Patriarcha quàm alii juſti viri ante legem pariter & poſt legem multas uxores inſimul habuiſſe leguntur: nec contrarium apparet in Evangelio vel lege præceptum: neque pagani ſubjiciuntur canonicis inſtitutis poſt inventis, quemadmodum eſt præmiſſum: videtur quòd nunc etiam juxta ritum ſuum licitè contrahant cum diverſis, quorum conjunctiones legitimas unda ſacri baptiſmatis non diſſolvit, & ita Patriarcharum exemplo ad fidem Chriſti converſi pagani, conjugiorum pluralitate gaudebunt.* ]

[ 3 *Unde Lamech qui plures uxores inſimul legitur habuiſſe, reprehenditur in ſcripturis, eo quòd ipſe primus reprobandam bigamiæ ſpeciem introduxit. Licet autem de hujuſmodi non quæſiveris, volentes tamen tam te quàm alios ſuper his etiam reddere certiores, & quòd veritas prævaleat falſitati, ſine dubitatione qualibet proteſtamur quòd.* ]

a *Tibaden.* b *Cap. 2. eod. tit. in 3. compilat.* c *1. Corin. 7.* d *1. Corinth. 4.* e *Geneſ. 2. & 3.* f *Matth. 19. & Lucæ 10.* g *1. Corin. 7.*

CAP. IX.

*Non licet relictam fratris in uxorem accipere: & de facto ducta ſeparanda eſt, niſi aliter eccleſia diſpenſet.*

Idem *Livonien. Epiſcopo, & eis qui cum ipſo ſunt fratribus.*

DEus *a* qui eccleſiam ſuam *b*: *& infrà.* Quia diſpar *c* eſt ritus in Livonien. eccleſia de novo ad fidem catholicam converſorum à noſtro, propter infirmitatem gentis ejuſdem concedimus, ut matrimoniis contractis cum relictis fratrum utantur, ſi tamen (fratribus decedentibus ſine prole, ut ſemen defuncti juxta legem Moſaicam ſuſcitarent) cum talibus contraxerunt, ne tales ſibi de cætero poſtquam ad fidem venerint, copulent prohibentes.

## DE DONATIONIBVS INTER VIrum & uxorem, & de dote poſt divortium reſtituenda.

### TITVLVS XX.

CAP. I.

*Separato licitè matrimonio, dos reſtituenda eſt.*

*Ex* Concilio habito apud VVormaciam.

MVlieres cùm *d* pro aliqua licita cauſa à propriis viris fuerint ſeparatæ, totam dotem percipimus ſibi reddi.

CAP. II.

*Soluto matrimonio cogitur vir dotem reſtituere, & bona dividere, quæ communiter eis obvenerunt.*

Vrbanus III. *Decano, cantori & capitulo Lexon.*

SIgnificavit P. mulier *e*, quòd H. quem loco viri tenebat, divortio inter eos ſolenniter celebrato, dotem ſuam illicitè detinet, & reddere contradicit: poſſeſſiones etiam, quæ ipſis dum ſimul viverent, cujuſcunque contractus titulo communiter obvenerunt, ea prorſus excluſa ſibi nititur vindicare. Ideoq; mandamus, quatenus ſi ita eſt, & non eſt aliud quod obſiſtat, ipſum ad reſtitutionem dotis, & diviſionem eorum, quæ olim communiter habuerunt, diſtrict. eccleſ. compellatis.

a *Cap. 3. eod. tit. in 3. compil.* b *infr. de pœnit. & remiſſ. c. 1.* c *aliàs ita: Quia diſpar eſt ritus in Livon. eccleſia de novo, &c. ſed in vetuſtioribus exemplarib. legitur, ut eſt impreſſum.* d *Ca. eod. tit. in 3. comp. & poſt Conc. Later. ſub Alex. III. par 50. c. 46.* e *Ca. 3. eod. tit. in 1. compil.*

CAP.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

### CAP. III.

*Delegatus ad cauſam matrimonii, ſi ferat ſententiam divortii, pronunciare debet dotem reſtitui. Et eſt caſus multùm allegabilis.*

Clemens III.

DE prudentia *a* veſtra miramur, quòd cùm vobis cauſam matrimonii, quæ vertebatur inter H. & M. commiſiſſemus terminandam, & vos conſanguinitatem inter eos invenientes, ſententiam divortii tuliſſetis: de dote, quam à viro mulier repetebat, quicquam ſtatuere diſtuliſtis. Quia igitur vos, qui de matrimonio principaliter cognoviſtis, & de dote (quæ eſt cauſa incidens) acceſſoriè cognoſcere valuiſtis, & ſententialiter definire: mandamus, quatenus prædictum H. monitione præmiſſa cogatis, ut prædictæ M. totam dotem (ſicut canonicum fuerit) reſtituere non moretur.

### CAP. IV.

*Mulier propter adulterium à viro ſeparata perdit dotem.*

Clemens III. *b*

PLerunque *c*: [ 1 *& infrà.* ] Si mulier ob cauſam fornicationis judicio eccleſiæ, aut propria voluntate à viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit eidem, dotem vel dotalitium repetere non valebit.

[ 1 *Accidit, ut proponis, quòd in parochia tua mulieres à viris ſuis cauſa fornicationis recedunt, & ſic uſq; ad mortem ipſorum permanere noſcuntur: ipſis verò defunctis, cùm à conſanguineis, ad quos hæreditates eorum perveniunt, dotem ſuam cum dotalitio repetunt, eis audientiam denegant, & nolunt reſtituere, quod repoſcunt: ob hanc cauſam, quia eo ipſo ſe indignas feciſſe noſcuntur, quòd à viris ſuis cauſa fornicationis duxerunt recedendum. In hoc itaque dicimus, quòd.*]

### CAP. V.

*Cogitur mulier ex officio judicis, donata ſibi à viro propter nuptias pro conſervatione illiciti matrimonii relaxare, ſi talis donatio præſtet impedimentum diſſolutioni talis matrimonii. h. d. ſecundùm intellectum qui plus placet Pannormitano.*

Innocentius III. *Compoſtel. Archiepiſcopo, & univerſis Epiſcopis in regno Legionen. conſtitutis.*

ET ſi neceſſe ſit *d*: *& infrà.* Quia verò caſtra quædam, quæ Rex Legion. filiæ Regis Caſtellæ in dotem tradidiſſe proponitur, ita ut ſi eam aliqua occaſione relinqueret, ipſa cederent in jus ejus, impedimentum præſtare videntur hujuſmodi copulæ diſſolvendæ: Cùm caſtra ipſius non tam ob turpem, quàm ob nullam cauſam ſint data, utpote cùm inter eos matrimonium nõ exiſtat, & ideò nec dos, nec donatio propter nuptias. Ne ad commodum ei cedat, quod debet in pœnã ejus potius retorqueri: caſtra ipſa reſtitui volumus, & ad id puellam per excommunicationis ſententiam coarctari.

### CAP. VI.

*Uſufructuarius donans ſine conſenſu Domini rem ipſam uxori propter nuptias, non transfert in eam plus juris, quàm ipſe habebit: idem de eo, qui ſub conditione adimente habet rem in hæreditatem, vel in feudum.*

Idem *Archidiacon. S. Andreæ de Scotia.*

NUper à nobis *e* tua diſcretio requiſivit, ſi aliqua terra data fuerit alicui, non in hæreditatem vel feudum, ſed tantùm quoad vixerit poſſidenda: & ipſe poſtmodum tertiam partem uxori ſuæ in dotem conceſſerit: utrum eo defuncto præfatam dotem uxor (dum vixerit) habere debeat & tenere: cùm eccleſia dotes protegere teneatur viduarum? Poſtulaſti præterea, ſi qua terra data fuerit alicui, & hæredi, quem de uxore legitima procrearet, in hæreditatem vel feudum: & ipſe uxori ſuæ quadam parte ipſius in dotem conceſſa deceſſerit poſtmodum ſine prole, an mulier dotem eandem de jure poſſet *a* habere?

Nos autem conſultationi tuæ taliter reſpondem. quòd cùm regulariter nullus plus juris transferre poſſit, quàm eum conſtet habere: vir, cui *b* terra prædicto modo conceditur, non poteſt uxori relinquere, quòd ei non licuit, niſi quoad vixerit poſſidere: nec licet uxori ſuæ partem illius terræ in donationem propter nuptias ex viri conceſſione tenere, niſi donationi ille, ad quem ſpectat dominium illius terræ, voluerit conſentire. Quòd autem de prima conſultatione dicimus, hoc reſpondemus etiam de ſecunda, nam licet eccleſia in cauſis viduarum ſe favorabilem debeat exhibere, contra juſtitiam tamen non eſt eis favor Eccleſiaſticus concedendus. Illud verò te nolumus ignorare, quòd uxor dare dicitur viro dotem: vir autem uxori donationem facere propter nuptias, ſecundùm legitimas ſanctiones.

### CAP. VII.

*Vir agens pro dote, non omninò excluditur ex eo, quòd vergat ad inopiam, nec præcisè cogitur ſatisdare ultra facultatem propriam: ſed dos ſibi adſignatur ſub cautione, quam præſtare poteſt. Et ſi per illam cautionem non eſſet ſufficienter proviſum conſumptioni dotis, deponetur dos apud mercatorem: ut de honeſto lucro vir ſuſtineat onera matrimonii. h. d. ſecundùm intellectum, quem tenet Pann. inhærendo verbis literæ. Et eſt caſus no. & quotidianus.*

Idem *Archiepiſcopo & Archidiacon. Genuen.* c

PEr veſtras *d* literas intimaſti, quòd cùm Magiſtrum R. ſuper quadam ſumma pecuniæ pro H. paupere, auctoritate noſtra curaveritis convenire: quam idem H. pro dote uxoris ſuæ requirebat, ab eo dictus R. exceptionem oppoſuit contra ipſum, quòd uxorem ſuam à ſe repulerat, & tacita veritate ſuper hoc literas impetraverat *e*: quia cùm ſupra eadem dote alia vice coram veſtræ civitatis conſulibus quæſtio mota eſſet, ipſi pronunciaverunt, ut quoniam idem H. ad inopiam vergere videbatur, dos illa non adſignaretur eidem, niſi cautionem idoneam de ipſa non petitura præſtaret: unde vos ei, ut de ſalvanda dote caveret, & uxorem ſuam reciperet, præcepiſtis: [ 1 *& infrà.*]

Cùm ergo ſatis poſſit ei modicum credi dotis, cui creditum eſt corpus uxoris: mandamus, quatenus dotem adſignari faciatis eidem ſub ea, quam poteſt cautione præſtare, vel ſaltem alicui mercatori committi, ut de parte honeſti lucri dictus vir onera poſſit matrimonii ſuſtentare: ne occaſione dotis detentæ, uxor à viro dimiſſa, ſeu vir, qui dimiſit uxorem, adulterii reatum incurrat.

[ 1 *Et donec illud poſſet facere, dos illa reponeretur, ſi vellet, in ſecretario eccleſiæ Ianuen. quòd cùm implere non poſſet, ad inſtantiam ejus nobis hoc reſcribere curaviſtis.*]

### CAP. VIII.

*Hæc decretalis ſatis ſeipſam ſummat.*

Gregorius XI.

DOnatio *f*, quæ conſtante matrimonio inter conjuges dicitur eſſe facta (ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur) firmitatem non habet, niſi donatoris obitu confirmetur: quæ tamen penitus evaneſcit, ſi revocetur ab eo tacitè vel expreſsè, vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ perſolvat. Sanè ſoluto matrimonio, ſicut dos ad mulierem, ſic & donatio propter nuptias redit ad virum: niſi de conſuetudine ſecus obtineat: vel ex pacto de lucranda dote & donatione propter nuptias, quod æquale ſit tamen, hincinde contrarium inducatur.

---

a *Cap. 1. tit. de dote poſt divor. reſtituend. in 2. comp.* b *Celeſtinus tertius.* c *Ca. 2. tit. de dote poſt divor. reſtituenda. in 2. compil.* d *Cap. 1. tit. de dote amitt. in 3. compil.* e *Cap. 2. tit. de dote amit. vel poſt divor. reſt.*

a *Poſſit.* b *al. vir, cui prædicta terra, dicto modo conceditur.* c *Ianuenſi.* d *Ca. 3. tit. de dote amitt. in 3. compil.* e *Impetravit.* f *Vid. Palac. Rubric in repet. hujus Rubric. §. 20. cum multis ſequentibus.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## DE SECVNDIS NVPTIIS a.

### TITVLVS XXI.

### CAP. I.

*Secundæ nuptiæ non benedicuntur, & benedicens puniendus eſt.*

Alexander III.

CApellanum *b* (quem benedictionem cum ſecundu conſtiterit celebraſſe) ab officio, beneficioq; ſuſpenſum, cum literarum tuarum teſtimonio, ad ſed. Apoſt. nullatenus deſtinare poſtponas.

### CAP. II.

*Dubitans de morte conjugis, niſi prius certificetur, contrahere non debet: & ſi contraxit, reddat, ſed non exigat debitum: & poſtmodum ſi ſciat primam vivere, dimittat ſecundam. Abbas Sic.*

Lucius III. *univerſis Chriſtianis in captivitate Saracenorum poſitis.*

DOminus *c*, ac redemptor noſter: *& infrà.* Sanè ſuper matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt: id vobis reſpondem⁹, ut nullus amodò ad ſecundas nuptias migrare præſumat, donec ei conſtet, quòd ab hac vita migraverit conjunx ejus. Si verò aliquis vel aliqua, id hactenus non ſervavit, & de morte prioris conjugis adhuc ſibi exiſtimat dubitandum, ei quæ ſibi nupſit, debitum non deneget poſtulanti: quod à ſe tamen noverit nullatenus exigendum. Quòd ſi poſt hoc de prioris conjugis vita conſtiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.

a *Vid. Magiſtrum, & Theologos l. 4. ſent. diſt. 42.* b *Cap. 1. eod. tit. in 2. compil.* c *Ca. 2. eod. tit. in 1. comp. huc ſpectant tradita ſupr. de ſponſalib. ca. in præſentia.*

### CAP. III.

*Si unus ex conjugibus fuit aliàs benedictus, non debent conjuges de novo benedici.*

Vrbanus III. *Vigilien. Epiſcopo a.*

VIr autem *b* & mulier ad bigamiam tranſiens, non debet à Presbytero benedici: quia cùm alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet.

### CAP. IV.

*Mulier nubens intra annum lugubrem, infamiam non incurrit. h.d. cum ſequenti. Abbas Sic.*

Idem *Exonien Epiſcopo.*

SVper illa quæſtione *c*, qua quæſitum eſt, an mulier poſſit ſine infamia nubere intra tempus luctus, ſecundùm leges definitum: Reſpondemus, quòd cùm Apoſtolus dicat: Mulier viro ſuo mortuo, ſoluta eſt à lege viri ſui: in Domino nubat, cui voluerit: per licentiam & auctoritatem Apoſtoli, ejus infamia aboletur.

### CAP. V.

*Summatur, ut præcedens.*

Innocentius III. *P. Nobili mulieri.*

CVm *d* (ſecundùm Apoſtolum) mulier mortuo viro ſuo, ab ejus ſit lege ſoluta, & nubendi cui vult tantùm in Domino liberam habeat facultatem: non debet legalis infamiæ ſuſtinere jacturam, quæ licet poſt viri obitum intra tempus luctus (ſcilicet unius anni ſpatium) nubat, conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate, cùm in his præſertim ſeculares leges non dedignentur ſacros canones imitari.

a *al. Vigo. al. Vig.* b *Ca. 1. eo. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lat. ſub Alex. 3. p. 9. c. 1.* c *Ca. 2. eo. tit. in 1. comp. & poſt Conc. Lat. p. 9. c. 2.* d *Ca. 1. eod. tit. in 3. comp.*

FINIT LIBER QVARTVS.

# DECRETALIVM EPISTOLARVM GREGORII LIBER QVINTVS.

## DE ACCVSATIONIBVS, INQVISITIONIBVS & denunciationibus.

### TITVLVS PRIMVS.

### CAPITVLVM I.

*De perſona accuſatoris prius quærendum eſt in judicio.*

Felix Papa a.

SI legitimus *b* non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus.

### CAP. II.

*A denunciatione repellitur is, qui non præmonuit.*

Idem *Epiſcopis per Galliam conſtitutis.*

SI quis Epiſcopus *a* ab illis accuſatoribus, qui recipiendi ſunt, accuſatus fuerit, poſtquam ab eis charitativè conventus fuerit, ut cauſam emendet, & eam corrigere noluerit: non olim, ſed tunc ad primates cauſa ejus canonicè deferatur.

### CAP. III.

*Criminatio prælati debet tractari coram illis, quorum intereſt.*

a *Primus. epiſt. 1. & 2. an eo. 270. id eſt, Claudio, & Paterno, Coſſ.* b *C. 1. eod. tit. in 1. comp. vid. Bald. in l. damni. §. ſi alieno. ff. de damn. infect.*

a *Cap. 8. eod. tit. in 1. comp. vid. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN